

HADRIANI RELANDI
DE
S P O L I I S
T E M P L I
HIEROSOLYMITANI
I N
A R C U T I T I A N O
Romae conspicuis
LIBER SINGULARIS.

Arcum ipsum & spolia templi in eo sculpta
tabulae in aes incisae exhibent.



TRAJECTI ad RHENUM,
Ex libraria **GUILIELMI BROEDELET,**
CICCCXVI.

17000000
17000000
17000000
17000000

A R G U M E N T A

capitum hujus opusculi.

C A P. I.

*Scriptionis occasio, & ratio insti-
tuti.*

C A P. II.

*Demonstratur spolia, quae in arcu
Titi conspiciuntur, vasa sacra fuis-
se; adeoque lychnuchi qui in Sancto
fuit & mensae esse illam effigiem.*

C A P. III.

*De altitudine ac latitudine lychnu-
chi agit.*

C A P. IV.

*De crassitudine ramorum lychnuchi
atque altitudine singulorum.*

C A P. V.

*De numero & forma ornamentorum
lychnuchi, malorum videlicet, flo-
rum atque craterum.*

C A P. VI.

*De basi lychnuchi & animalibus in
ea sculptis.*

C A P.

C A P. VII.

*De mensae sacrae effigie ejusque lim-
bis duobus.*

C A P. VIII.

*De cingulo pedum mensae , tמְסֻגָּרָת,
dicto.*

C A P. IX.

De forma pedum mensae.

C A P. X.

*De annulis mensae appositis , quibus
immittebantur vectes.*

C A P. XI.

*De duabus acerris supra mensam
conspicuis.*

C A P. XII.

De duabus tubis sacris.

C A P. XIII.

Fata horum spoliorum enarrat.

H A -



ARCUS TRIUMPHALIS TITI
nunc Romae conspicitur.

B: Overbeek ad virum del.

J. Goeree fec.



HADRIANI RELANDI
DE SPOLIIS
TEMPLI
HIEROSOLYMITANI
In arcu Titiano Romae conspicuis
LIBER SINGULARIS.

CAPUT I.

ARGUMENTUM.

Scriptionis occasio & ratio instituti. Arcus Titi singulari Dei providentia prae aliis monumentis conservatus. Imagines lychnuchi ex illo descriptae hactenus minus accuratae. Cura adhibita in adipiscenda nova & vera lychnuchi aliorumque vasorum ibi sculptorum effigie. Suspiciones quaedam natae ex primo conspectu picturae lychnuchi Roma transmissae. Mittertur illa Romam denuo, ut cum archetypo conferatur.



quinquennium effluxit, ex quo effigies lychnuchi sacri ab Justo Fontanino, Abate, viro clarissimo, ad me rediit, quam Roma ante ad me delatam iterum eo miseram, ut cum

A

archeo-

2 DE SPOLIIS TEMPLI
archetypo denuo conferretur. Non sine
fructu illam publico exponendam esse jam
id temporis censui (quod propositum alia
negotia in hos usque dies distulerunt) &
de nonnullis monendum spectatorem quae
mihi in hac imagine digna animadversione
videbantur. Fieri enim non potest, quin
dubia quaedam oriantur alicui de fide &
cura qua haec delineatio expressa est, de-
que forma quae a descriptione lychnu-
chi Mosaica & Talmudica in multis di-
versa est: quibus aut tollendis aut minu-
endis librum singularem destinavi. Hic
ergo nequaquam universa quae de lych-
nuchi auctore, materia, pretio, pondere,
& situ in Sancto dici merentur compre-
hendet, aut quae de usu nocturno, oleo,
concinnatione lychnorum quotidiana, va-
sculis & forcipibus, significatione deni-
que horum omnium arcana; sed ea tan-
tummodo quae ad formam lychnuchi,
& hujus quidem qui in arcu Titi specta-
tur, pertinere visa sunt, ut liqueat qua-
tenus forma in monumento Romano re-
praesentata conveniat cum illa quae in
facris literis & scriptis Talmudicorum
lychnuco tribuitur: quod, ubi ad partes
singulas nos ordo deduxerit, sigillatim no-
tabimus.

tabimus. Ad haec postquam accessisset mensae quoque & acerrarum thuris ac tubarum effigies ex eodem arcu Titiano descripta, de illis quatuor Templi Hierosolymitani spoliis, quae sola insigne hoc monumentum exhibit, paucis tractare in animum induxi. Quo in argumento ita versatus sum, ut ea potissimum mihi curae essent ad quae ipse conspectus monumenti quasi manu dicit: quandoquidem res in eo repraesentatas, adeoque arcum triumphalem ipsum, praecipue ante oculos habere & illustrare animus fuit. Vasa haec ipsa alibi descripsimus, & quotannis solemus in scholis privatis auditoribus nostris exponere plura quae tum in Codice sacro tum in aliis libris vetustis Hebraice confectis de forma & usu harum rerum scripta sunt.

Ad curam meam diligentiamque quod attinet, quam in hac re adhibui, nisi ea cura amicorum potius meorum nuncupanda sit, diu est quod optaverim accuratam nancisci imaginem sacri hujus lychnuchi, quem non sine singulari Dei providentia, quum tot numero & tam praeclara Romae ornamenta vetustate atque injuria dejecta sint, conspicuum extare

4 DE SPOLIIS TEMPLI
hactenus in arcu Titi Vespasiani noveram. Illae, quas consului in scriptis virorum eruditorum, aut qui arcus triumphales urbis Romae & monumenta vetera in aes incidi curaverant, unde eas alii magno numero libris suis inseruerunt, tantum abest ut desiderio meo fecerint satis, ut haud mediocriter illud auxerint. Exiles enim nimis illae, & sibi mutuo erant adversae, sic ut omnibus iis inter se collatis multo factus fuerim incertior quam dudum. Quumque viros doctos cernerem in explicanda forma craterum, malorum aliorumque ornamentorum lychnuchi, provocare ad imaginem, quam arcus Titi exhibebat, atque inde ipsi Sacro Codici lux aliqua sperari posse videretur, nihil esse putavi posse dulcius iis qui aliquam cupiditatem habent notitiae rerum sacrarum quam si veram effigiem lychnuchi ex arcu Romano descriptam in vulgus ederem. Hanc geminam eodem tempore accepi, uti eam Romae fieri curaverant duo amici mei, quorum alter est vir, cuius nobile per orbem literatum nomen est & laus ut eruditiois ita humanitatis maxima, Justus Abbas Fontaninus, Clementi XI, Pontifici Romano, ab honore sacri cubiculi,


cubiculi, alter eruditus Britannus, eo tempore Romae vivens, cuius amicitiam Nobilissimo Johanni Chamberlainio, Equiti & membro Regiae Societatis Britannicae, debeo, Antonius Twymannus. Ille quidem ab architecto Pontificis, delineari lychnuchi sacri imaginem & mihi mitti curavit; hic, scalarum ope arcui admotarum, lychnucho ipsi, in arcu sculpto, pulvrem detersit, ut minimas quasque partes accuratius detegeret, rem non postulatam sed suam visus agere, imaginemque pictam ad me transmisit, literas addens a.d. xx. Junii ccccxx. Romae datas, e quibus haec excerpto, quae ad Lychnuchum nostrum faciunt. Yet y would not be satisfyd till he gave me leare to compare it with the original, which when y did by means of ladder & cleannig the parts, whch were coverd with dust, & found them so very different, that y thought it necessary to take this, which y here send you, of which y can assure you of its exactness; for y stood by the painter all the while he was designing of it, & y look the dimensions of it my self. Et mox. Y have taken lare to send you a scale of two feet English measure divided in-

to four & twenty inches. The breadth of the base & top of the candlestick is exactly twoo feet. The height , includnig the base , is two feet & nine inches. The candlestick is divided into three equal parts containning eight inches a piece. I have not been so nice in the dimensions of the lesser members , as in their number & order.

Statim has literas Twymanni accepi , in aes incisa est lychnuchi imago , ita ut eam delineari praesens ipse , sicut supra significavimus , jussit. Potuisse illam , ut erat , mox in lucem edere ; sed malui exemplum ejus chartae impressum Romam mittere ad Cl. Fontaninum , ut antequam cum observationibus meis eam ederem , conferretur denuo cum imagine in ipso arcu Titi , & de quibusdam certior redderer an revera ita se in arcu haberent ac in imagine ad me transmissa depicta erant. Videbam ramos lychnuchi maximos & extremos , primum nempe & septimum , non esse similes ; quod vix credendum putabam , quum ratio operis id flagitare videretur , quod cuivis facile intellectu est , ut non plura aut aliter essent disposita mala , crateres , & alia ornamenta in

EFFIGIES LYCHNUCHI, UTI NUNC CONSPICITUR IN ARCU TITIANO.



Pag. 6.



Scala pedum Anglicorum

Delineatum Romæ.

In aës incisum Amstelodami.



in primo ramo ac in septimo. Deprehendebam in rami septimi parte infima, quae stipiti lychnuchi propinqua est, duos orbes, craterem, malum, craterem inversum, & tum florem: verum in ramo primo duntaxat duos orbes & deinde florem. Ita sculptos conspici nihilo secius hos ramos in arcu Titi, & brachium hoc non esse alteri illi opposito simile, rescripsit mihi Fontaninus, sic ut quadratarii ipsius error hic videatur. Praeterea notavit Fontaninus puncta, quae in malis conspicuntur & crateribus, globulos non esse sed cavitates; partem pedis superiorem paullo strictiorem esse oportere (quod mox fieri curavi a sculptore) & reliqua quidem in effigie lychnuchi bene se habere adscripsit. Ex quo facillime potest judicari, quanta cura lychnuchi imago expressa sit ex arcu Romano. Fontanini ipsius verba addo, quum ad me remitteret effigiem illam in aes incisam, quam ei miseram, excepta ex literis ad me datis Roma x. Kal. Jan. ccccxxi. ut eo certior evadat quicunque haec leget, non aliter in arcu Titi lychnuchum sculptum esse ac eum damus in tabella aeri incisa & hic inserta: *Accipe ergo orthographiam can-*

delabri, a te hoc missam, & cum ipso archetypo, non binis sed multis oculis illud explorantibus, diligentissime collatam, ita ut nihil accuratius expressum haberi possit.

CAPUT II.

ARGUMENTUM.

Disquiritur an lychnuchus in arcu Titi conspicuus idem sit ac lychnuchus sacer. Primo Josephi verba triumphum Titi describentia hanc in rem adducuntur. Deinde pretium & excellentia spoliorum Templi suadent non alium lychnuchum quam sacrum intelligere. Tum, quod lychnuchus talis qualis in arcu Titi conspicitur lychnicho Mosaico similis fuerit. Non licuit ea forma lychnuchos ad alios usus fabricare. Onias in templo suo lychnuchum talem non ausus confidere. In templo qui erant lychnuchi ab hac forma diversi. Quaeritur quomodo lychnuchi duo ex parietibus templi eruti a Thebuti filio similes fuisse lychnicho sacro dici possint. Λυχνίαι & Λυχνία usurpatum a Josepho de lychnicho. Erant lychnuchi sacro similes, qui servabantur ut substitui possent lychnicho sacro polluto. Confirmatur nostra sententia a rei probabilitate, quod Titus haec vasa sancti haud dubie triumpho destinaverit:

naverit: quodque non nisi unus lychnuchus & una mensa in arcu sculpta sint. Denique quod lychnuchus in triumpho latus a Josepho dicatur publicum esse testimonium honoris quo gens Iudaica numerum septenarium prosequitur; quodque si is lychnuchus a sancto diversus fuisset, id Josephus indicasset.

Non desunt viri docti, qui dubitent hunc lychnuchum quem arcus Titianus exhibit imaginem esse lychnuchi Sacri in Sancto collocati, aliumque esse quendam suspicentur, qui in conclavi aliquo atriorum Templi reperitus sit: sic ut autem frustra in hac imagine quicquam quaeri ad indagandam formam Lychnuchi Sacri. Haec si ita se habeant, supervacuus omnis est labor a nobis in hanc rem insumtus: nec aliquid hinc sperari potest ad illustrationem divinarum tabularum, sacrorumve Judaicorum. Demonstremus itaque accuratius hunc ipsum illum esse Lychnuchum, qui in Sancto Templi Hierosolymitani fuit. Testis est Josephus lib. vii. τὸ Ιερονύμος πραγματείας (ita enim ipse hos libros nuncupat Antiq. xiii. 9. aut Ιερονύμῳ, uti lib. xiii. 18.) id est de A s bello

10 DE SPOLIIS TEMPLI
bello Judaico cap. 24. secundum distinctio-
nem Latin. at 17. Graec. in triumpho Ti-
ti spolia in Templo Hierosolymitano in-
venta fuisse circumlata, & inter illa e-
minuisse mensam auream, lychnuchum
aureum, & volumen Legis: de lych-
nucho autem speciatim notat, longe al-
terius formae eum fuisse quam vulgares
esse lychnuchi solerent. Διέτρεπε δὲ πάν-
των τὰ ἐγκαταληθέντα τῷ οὐ Ιεροσολύμοις
ἱερῷ. χρυζῆτε τράπεζα τὴν σληνὸν πολυτά-
λαντῷ, καὶ λυχνία χρυσῷ μὲν ὁμέως πε-
ποιηθήσῃ· τὸ δὲ ἔργον ἐξήλακτο τὸ κατὰ
τὴν ἡμετέραν χρῆσιν Συνθείας· οὐ μὲν γὰρ
μέσῳ ἦν κίων ἐκ τῆς Βαζεώς πεπιγόως, λε-
πτοὶ δ' ὀπίστησιν τὸ καυλίσκοι, τρι-
αίνης χήματι παραπλησίαν τὴν Θέσιν ἔχον-
τες λυχνῶν ἔκαστος αὐτῶν ἐπὶ ἄκρων κεχαλ-
κευθέσθαι· ἐπτὰ δὲ ἥσαν ὅτοι τὸ παρὰ τοῖς
Ιεδαιόις ἐβδομάδᾳ τὴν τιμὴν ἐμφανίζοντες·
ὅτε νόμῳ οὐ τῷ Ιεδαιῶν ἐπὶ τότοις ἐφέρετο
τὸ λαφύρων τελευταῖς. Eminebant inter
alia, quae in Templo Hierosolymitano de-
prehensa sunt, mensa videlicet aurea quae
pondere plura talenta aequabat, & lych-
nuchus ex auro similiter constructus, sed
cuius opus diversum erat a nostri usus con-
suetudine. Medius stipes ex basi cui im-
patens

pactus erat surgebat & tenues ab eo rami producebantur, uti in fuscina, in quorum singulorum apice lychnus erat fabricatus. Septem autem erant, numeri septenarii honorem apud Iudeos indicantes. Lex denique Iudeorum ultimum spoliorum circumferebatur. Non immorabor confutandis aliorum interpretum erroribus, qui haec Josephi aliter reddiderunt. Nec multis demonstrabo, licet ex iερῷ petita dicit, tamen ex ναῷ proprie illa fuisse eruta, si quis iερῷ & ναῷ nomina velit distinguerre, uti & Josephus facere solet: ipse enim Josephus lib. xi. antiq. cap. 7. ἐν τῷ iερῷ scribit occisum Jesum fratrem Pontificis, at mox ἐν τῷ ναῷ plus semel: unde clarum est Josephum aliquando ipsam aedem sacram sive Ναὸν complecti nomine ναῷ iερῷ. Hoc observari velim, lychnuchum a. Josepho describi & mensam quae ἐν τῷ iερῷ inventa sunt; lychnuchum & mensam auream fuisse; lychnuchum forma diversum fuisse a reliquis lychnuchis quibus Judaei vulgo utebantur, qui cum ea forma convenit quam Deus Mosi praescripsit, in illis videlicet, quae Josephus hic commemorat: porro inter reliqua spolia Judaica haec

12 DE SPOLIIS TEMPLI

haec eminuisse : at cur eminuissent ? anne ob pretium ? anne ob formam ? atqui lychnuchos alios aureos , illi qui in Templo erat similes, Titus a Sacerdote transfuga Jesu filio Thebuti acceperat. Atqui & tubae duae sacrae in triumpho circumlatae fuerunt , instrumenta sancta , quae lychnuchi & mensis (nisi sacra illa vasa fuerint & sancti ornamenta) quantumvis aureis erant sanctiora. Verum & hoc forsitan nobis non dabunt , tubarum par in arcu Romano sculptum imaginem esse tubarum sacrarum. Mittamus ergo. Excellentia certe sanctitati tribuenda est. Ideo haec excellebant quod sanctissima essent & in loco Sancto cultui Divino sacrata , nihilque evidenter ostenderet magnitudinem triumphi de Judaeis , quam quod sanctissima spolia ex penetrali Templi Hierosolymitani interiore erepta Romae conspicerentur ab unoquoque quae solis antea Sacerdotibus patebant. Ideo Imperator gloriabatur & se praecipue efferebat ob illa sacra Judaeorum spolia , teste Josepho σεμνύμηθε π' αὐτοῖς . Et quis credat , quum & lychnuchum & mensam in Templo inventa narret Josephus , alium lychnuchum aliamve mensam

sam fuisse quam duo illa celebria Sancti Hierosolymitani ornementa? nec si alius ille fuisset lychnuchus, alia mensa, id silentio involuturus fuisset Josephus, qui contrario ita de iis loquitur ac de sanctissimis illis lychnucho & mensa loqui eum oportuit. Titus ipse in Sanctum ingressus fuit & quae ibi erant spectavit, quum jam flamma depopularetur exteriora, uti Josephus narrat lib. vii. cap. 10. vel Graecis cap. 26. Καῖσαρ δὲ, ὡς ὅτε τὰς οἰκουμένης ἀνθρώπων τῷ σρατιωτῶν καταχεῖν οἶος τε ἦν καὶ τὸ πῦρ ἐπεκράτει, παρελθὼν μετὰ τῷ οὐγεμόνων ἔνδον ἀθεάσατο τῷ ναῷ τὸ ἄγιον καὶ τὰ ἐκ αὐτῷ, πολὺ μᾶλλον τῷ παρὰ τοῖς ἀποφύλοις Φίμην ἀμείνω. Σέ δὲ κόμπῳ καὶ τῷ παρὰ τοῖς ὀικείοις δόξῃς ὥκελατίω. Caesar autem, quum cohibere impetum insipientium militum non posset, & flamma invalesceret, cum praefectis ingressus intro Sanctum Templi conspexit & quae in eo erant, longe praestantiora fama, qua apud extrarios erant, gloria autem & opinione qua erant apud Iudeos non minora. Quae sunt ea quae in Sancto vidit adeo clara & celebrata? Certe illa quae alibi lib. v. c. 14. de bell. Judaico nuncupat Θαυμασιώτατας καὶ περβόητας πᾶσιν αὐθρώποις

ποιεῖται, λυχνία, τραπέζα καὶ θυμιατήριον. Ita ipsum Templum erat περιβόλον, qua voce utitur in fine lib. I. c. Apionem, quam Plinius reddit *nobile*: & lib. xx. 2. Antiq. τὸ πᾶν ἀνθρώποις περιβόλον λέγον τὸ Θεόν. Haec erant tria Sancti ornamenta. Haec vidit Caesar; quamvis de altari aureo dubitari possit quod in triumpho Titi non legatur fuisse, & forsitan ante Titi ingressum jam loco suo motum: qua de causa & a quibus incertum est. Sane inter Judaeos non desunt, qui putent lychnuchum & mensam loco suo removeri nunquam licuisse, quia Deus dixerat illa esse debere **לפנינו תמיד coram facie sua semper** Exod. 25. 30. quod de altari aureo non legitur. Vide Codicem Chagiga c. III. 5. Forsitan itaque altare hoc a sacrilegis illis loco motum est, qui, teste Josepho, lib. VI. de bell. c. 16. πολλὰ πρὸς τὰς λειτουργίας αὐτογάδια ζεῖν, κρατῆρας τε καὶ πίνακας καὶ τραπέζας, res sacras plurimas, mensas, crateres aliaque ad cultum divinum necessaria in usus privatos obsesto Templo converterunt, forsitan ab aliis, Sed non est hic nisi incertis conjecturis locus. Id mihi certum videtur, Titum,

si

si potuit (milites enim tunc dicto audientes vix habuit, quum eo invito Templum exustum fuerit ἀκοιτ Καῖσαρ lib. vii. c. 10. de bell.) curasse ex Sancto vala haec praestantissima effterri, aut postea inter Templi rudera haec inventa ad Titum delata fuisse: quod si etiam altari aureo potitus fuisset Imperator, absque ullo dubio id quoque in triumpho circumferri jussisset. Quod quum non fecerit, existimem hoc altare ad manus Romanorum non pervenisse.

Liquet porro hunc esse lychnuchum qui in Sancto Templi fuit ex eo quod forma ejus, in praecipuis certe partibus, conveniat cum forma lychnuchi Sacri a Mose descripta. Nec licebat Judaeis lychnuchum istiusmodi conficere, etiam si usibus sacris destinatum, veluti lychnuchum Sabbathicum aut festi Encoeniorum causa. Sanciverunt Patres Talmudici in Gemara Roshi hasschana fol. 25. & Gemara Avoda Zara fol. 43. 1.

לא יעשה אדם בית תבנית היכל אכמדרא
תבנית אלים חצר תבנית עזרה שולחן
תבנית שולחן מנורה תבנית מנורה
אבל הוא עושה של ה' ושל ו' ושל ח'
ושל ז' לא יעשה אפילו של שאר מני
מתכות

טהרכות ר' יוסי בר יהודת אמר אפ'
של עץ לא יעשה כדרך שעשו בית חשמונאי *Ne exstruant quisquam domum ad similitudinem aedis Sacrae, aut exedram instar pronai, aut aream instar atrii Sacri, aut mensam instar mensae, aut lychnuchum instar lychnuchi sacri: sed licebit lychnuchum facere quinque, sex, vel octo ramorum, nequaquam vero ramorum septem, etiamsi non ex auro sed ex aliis metallis constet. R. Jose fil. Febudae sententia est, etiamsi ex ligno lychnuchum faciat, non licere, quod talem Chasmonaei fecerint.*

Quapropter ne Onias quidem, quem Templum in AEgypto struxisset, at nec illud simile aedi Sacrae respectu conclave & spatiorum quae occupabant uti Josephus indicat, & altare Hierosolymitanum imitatus esset (quod sibi licere arbitrabatur ob dictum Prophetae Jes. 19. 18. in AEgypto fore urbes ȝ. &c. & quod etiam Elias & alii altaria constituerint extra locum Templi aut Tabernaculi) ausus fuit lychnuchum sacro similem facere: sed ἀνθίμωσιν quidem Templum exornasse legitur, χωρὶς τὸ περὶ τὴν λυχνίαν κατασκευῆς excepta fabrica lychnuchi. Οὐ γὰρ ἐποίησε λυχνίαν, nec enim fecit lychnuchum, sed aliquid simile

mile ei substituit, $\lambda\upsilon\chi\nu\sigma\tau\alpha$ χρυσὸν aureum lychnum, tanquam ac si arderet splendore auri coruscantem, ἐξεκρέμαστε suspen-

dit.

Fuere quidem alii lychnuchi aurei in Templo **מןורות הזהב** qui i Chron. 28. 15. memorantur, & lychnuchi argentei, sed non crediderim eos similes fuisse lychnucho Mosaico. Memorantur & **זהבן מנורות של** in festo Tabernaculorum Succa. v. 2. sed quatuor lychnos habebant, nec similes erant Mosaicis. Salomon fecit lychnuchos decem sacros, fateor, qui similes esse potuerunt Mosaico, sed Prophetae numine divino instincti, multa fecerunt aliis hominibus interdicta, uti Elias, dum Templum stabat, altare in monte Carmelo exstruxit & illic sacra fecit.

Verum, dicet aliquis, narrat Josephus sacerdotem quendam ex aedis sacrae pariete lychnuchos duos aureos, sacro similes, depromtos Tito obtulisse: fuere itaque plures lychnuchi forma haud diversi, iisque sacro lychnucho similes, & ex his forsitan ille fuerit quem Titus in triumpho ostendit. Posset responderi, Josephum non scribere illos lychnucho sacro similes fuisse, sed ταῖς λυχνίαις. Sed ut verum

18 DE SPOLIIS TEMPLI
fatear, nolim hoc urgere. Confiteor saepe Josephum hunc lychnuchum vocare λυχνίαν numero singulari. Sic de lychnuchio Tabernaculi Antiq. III. 9. τὴν λυχνίαν ἐξ ἑδομήκοντα &c. & cap. 10. καὶ τὸ λυχνίας καὶ Θυμιατηρία. Et cap. 7. λυχνία ἐν χειρὶ κεχωνευαθη. Lib. I. de bell. Judaico c. 5. de Pompejo ingresso in Sanctum τὰ ἔνδον ἐθεάσατο, λυχνίας τε καὶ λύχνων καὶ τράπεζαν, ubi λυχνία ipsum lychnuchum & λύχνων septem lucernas si-
ve lychnos indicant. Rufinus minus re-
ete illa vertit *candelabra cum lychnis & mensis*: si enim voce candelabri (licet minus apta) uti voluisset, utique non nisi *unum* memorare debuisset, non candelabra. Ita lib. XI. Antiq. cap. II. de Juda Chasmonaeo Templum lustrante εἰσεκόμισε καὶ κατέκειν, λυχνίαν, τράπεζαν καὶ βωμόν. *Intulit nova vasā, lychnuchum, mensam & altare eaque aurea,* ἐκ χειροῦ, contra ac R. Josen audivimus existimantem supra pag. 16. Mox legitur, fateor, in Latina versione, *accenderunt lumina in candelabis*, sed Graeca ἐπὶ τὸ λυχνίας unum candelabrum indicant. At non desunt alii loci in Josepho quibus lychnuchum in plurali numero λυχνίας vide-
tur

tur appellare. Ant. xi 1. 67. de Antiocho legitur eum abstulisse λυχνίας χεύζεας, καὶ βωμὸν χεύζεον καὶ τράπεζαν lychnos aureos & altare aureum & mensam. Vide-
licet aut error erit librarii λυχνίας pro
λυχνίᾳ exarantis, vel Josephus lychnu-
chum hunc quod septem λύχνας haberet,
dixit λυχνίας, uti quadrigae plurativo nu-
mero appellatur currus unus : qua de re
confer Gellium noctium Atticarum lib.
xix. cap. 8. Nam & λύχνον αἴθανατον λε-
γόμενον παρὰ Ισδαλοῖς hunc appellat lych-
nuchum Diodorus Siculus lib. xxxiv.
quum alias λύχνοι in numero plurimum di-
ci quoque possit & soleat ; aequae enim
λύχνας ac λύχνον in Templo arsissē dici
potest : atque ita & λυχνίας aequae ac λυχ-
νίᾳ : quia quilibet ramus ex septem quasi
λυχνίᾳ est. Sed non deerunt forte qui
negabunt Diodorum λύχνας nomine totum
lychnuchum innuere & solum hac voce
indicari unum lychnum מערבי dictum
qui ad vesperam usque ardebat. Quic-
quid sit, hinc colligitur per λυχνίας in
Templo locatas intelligi lychnuchum sa-
crum oportere : reditque ea difficultas
quomodo duo illi lychnuchi Tito oblati
similes esse lychnicho sacro potuerint,

20 DE SPOLIIS TEMPLI
quum Iudaëi nefas putent lychnuchos usurpare sacro similes. Responderi ergo hoc posset, de jure Judaeos loqui, non facto: licitum esse negant istiusmodi lychnuchos facere: at quid si fecerint illi, qui tam multa contra leges patrias facinora admisserunt? Quid si fecerint eos non ad usum (usus autem solus videtur fuisse interdictus, non confectione: uti pulverem aromaticum sacro pulveri similem facere non licuit ad usum communem, licuit tamen discendi gratia, ipsis testibus Judaeis) sed ad alios fines? Quid si similes dicantur, ita tamen ut non omnino similes fuerint?

Lubet ante omnia dare ipsa verba Josephi, ut deinceps ea illustremus ostendamusque non fuisse unum ex iis lychnuchum, qui in arcu Titi cernitur, & quomodo hi lychnuchi sacro similes esse potuerint, lib. vii. de bell. Judaico cap. 15. Εν δὲ ταῖς αὐταῖς ἡμέραις οὐκὶ τὸ ιερόν τις Θεούτερος παῖς Ἰησοῦς ὄντα, λαβὼν περὶ σωτηρίας ὀρκυστικὸν παρὰ Καίσαρόν, ἐφ' ὃ παραδόσει τινὰ τὸ ιερόν κειμηλίων, ἔξειστι οὐκὶ παραδίδωσιν αἴποτε τοίχος τὸ Ναὸν λυχνίας δύο ταῖς κατὰ τὸ Ναὸν κειμήλαις παραπληγίαις, τραπέζαις τε

234

καὶ πρατῆρας καὶ Φιλίας πάντες ὀλόχευσα
 καὶ σιβαρώτατα. Illis diebus Sacerdos aliquis Jesus filius Thebuti accepta fide salutis a Caesare, ut cimelia quaedam sacra traheret exit, & ex muro aedis sacrae duos lychnuchos, iis qui in templo erant similes, mensasque & crateras & phialas, omnia ex auro solidis & gravissima tradidit. Eadem fere Zonaras tom. I. annalium. Sed Josephus, qui duorum illic lychnuchorum meminit, monuisset, ubi triumphum Titi narrat, unum ex iis hunc fuisse: & cur non duos ergo lychnuchos in triumpho gestarunt aut sculpserunt in arcu, & mensas plures? Nec haec erant ἐγκαταληθέντα τῷ Ιερῷ, sed a transfuga potius donata: & quomodo lychnuchus ille, si in Sancto non fuit, cum mensa sacra (quam duae thuris acerrae, & limbi duo, & pedum verrorum formae satis ostendunt mensam sacram fuisse) in triumpho jungitur, quum alias lychnuchus & mensa sacra conjungi semper uti vasa praecipua Sancti sibi mutuo opposita soleant? Quid ergo de lychnuchis illis ex pariete aedis sacrae desumptis dicendum est? Cui usui inservierunt? & quomodo similes

22 DE SPOLIIS TEMPLI
illos fuisse ait Josephus lychnucho sacro?
Dici posset illas *λυχνίας* ex uno ramo con-
stitisse & illum ramum similem fuisse ra-
mo alicui lychnuchi sacri , aut potius
εἰναγμάτα vel donaria fuisse gentium
in Templi pronao reposita : nec enim
vetitum fuisse existimo a gentibus dona
recipere, quae materia & forma conveni-
rent cum rebus sacris, modo ne ad usum
adhiberentur. Mensam auream in Templo
dedicavit Ptolemaeus, lychnuchum Helena
Regina Adiabenorum in Pronao suspen-
sum, & tabulam auream in qua *פְּרִשָּׁת סֻמָּה*
erat inscripta; alii alia. Dici etiam posset per
λυχνίας κατὰ τὸ Ναὸν κειμένας intelligi nec
debere nec posse lychnuchum sacrum in
Sancto constitutum, quum uti supra dixi-
mus unicus tantum fuerit: at Josephum, qui
λυχνίας hic commemorat , quum alias
unam modo fuisse *λυχνίαν* in Sancto scri-
bat , uti lib. xii. alias *λυχνίας* innuere,
quae , quum in aede sacra tot conclavia
fuerint excepto Sancto & Sancto Sancto-
rum , variisque usibus destinata , aliis in
locis collocatae esse posuerunt : in primis
quum etiam *מן רוחות זהב* *lychnuchorum*
aureorum in Templo primo fiat mentio,
praeter illos Salomonicos, qui decem ab
eo

eo in Sancto collocati fuere.

Malim tamen credere , quum lychnuchus posset pollui , & tempore dierum festorum monerentur juniores sacerdotes ne ad lychnuchum accederent , alios hos lychnuchos esse fabricatos ut ei ad tempus substituerentur , nam lychnuchus debebat ardere **תמיד** coram facie Dei. Adscribam quae leguntur in Codice Chagiga , misna ultima **מטבילים** את הכלים שהיו במקדש ואומרים להן זהרו שלא תגע בשלחן ובמנורה וחתמתוهو כל הכלים שהיו במקדש יש להם שניים ושלישים שאם נטמאו **הראשנים יביאו שניים חתיהם** *Immergere solebant aquis vasa quae erant in Templo: dicebant autem illis cavete ne tangatis mensam aut lychnuchum & polluatis illa. Omnibus vasis quae in templo erant, secunda & tertia erant (iis similia) ut si contingeret illa pollui haec earum loco ponerentur. Ali quando loco suo motus & mersus fuit lychnuchus. Id Sadducaei Pharisaicis (nam ex sententia Pharisaorum omnia facta fuisse quae ad cultum publicum & sacra spectabant , Josephus adnotavit) vi-*

24 **D E S P O L I I S T E M P L I**
 tio vertebant. Vide Gem. Hieros. Chagiga
 79. 4. **פָעַם אֶחָת הַטְבִילוֹ אֶת הַמְנוּרָה.**

Sed quid sudamus in inquisitione hu-
 jus rei , ubi certi esse vix possumus an
 veram causam simus assecuturi & sexcen-
 tis, acutis licet argutisque conjecturis, rem
 perducturi ad liquidum. Sufficit in Jo-
 sepho illud, uti nunc est, legi sacerdotem
 Tito dedit lychnuchos similes lychnu-
 cho sacro. Unde illi, & cui bono, quis
 affirmabit ? Nec tamen hos aut unum
 horum in arcu Titi sculptos esse exi-
 stimo ob rationes quas adduxi , quum
 de excellentia & nobilitate vasorum in
 triumpho latorum egi. Quod si quis il-
 lius lychnuchi quem sacerdos Tito dedit
 imaginem hanc esse putet, quam nos pro
 lychnuclo sacro habemus , dicat quidni
 duos ergo sculptor exhibuerit : duos
 enim Tito dedit. Et hoc certe confiteri
 debebit imaginem lychnuchi in arcu Ti-
 tiano sculptam similem esse lychnuclo
 sacro, quoniam $\lambdaυχνίας$ Tito datae erant
 similes $\lambdaυχνίας κατὰ τὸ ναὸν κειμένων$.

Praeterea, etiamsi nobis non constaret
 Titum ex templo haec vasa eruisse , an
 non probabile est Imperatorem in primis
 de vasis his sanctissimis, quae erant $\pi\epsilon\gamma\iota-$

Εόντως

Contarū πάσιν ἀνθρώποις ἐργα, sollicitum
fuisse ut illa flammae subtraheret & in
pompa triumphali circumferret? Multum
erat quum Pompejus jure victoriae tem-
plum ingressus vidi illud grande gentis
arcانum patens, sub aureo vitem coelo:
verum plus erat adyti interioris vasā,
mensam & lychnuchum, per plateas urbē
Romanae circumferri spectanda oculis
omnium. Josephus in prologo lib. i. de
bello, de Tito narrat eum sacra κειμήλια ex
igne rapuisse. Quis credat illum, aliis
rapiendis intentum, haec, quae ut vide-
ret ingressus est cum suis in Sanctum,
igni praedam concessisse?

Tum ad hoc velim attendi: lychnu-
chum quem in triumpho Titus circum-
tulit, unicum fuisse, unicam & men-
sam: vel, ita potius loquamur, unicum hunc
lychnuchum, unamque mensam, digna
fuisse censita quae prae multis aliis vasis
& cimeliis, tanquam pretiosissima spolio-
rum in arcu triumphali sculperentur in
signum triumphi Judaici. Habuit tamen
Titus, & sine dubio in triumphum tulit,
alios lychnuchos aureos, & mensas, quae
ipsi data fuerunt a sacerdote transfuga, fi-
lio Thebuthi. Sed nec illa nec alia in

26 DE SPOLIIS TEMPLI
arcu Titi sculpta sunt praeter unum
lychnuchum, mensam, acerras, & tu-
bas duas, quibus nonnulli addunt volu-
men legis Mosaicae, cuius indicium ali-
quod in arcu ipso sibi deprehendere visi
sunt, in primis quum & Josephus Le-
gis meminerit inter alia spolia circumla-
tae. De tubis ergo duabus quum vix vi-
deatur dubium quin illae sacrae fuerint, &
ad exemplum חצוצרות Mosaicarum fa-
ctae: acerras quum videamus geminas
mensae impositas, quae multarum aliarum
rerum capax erat: mensam ipsam & lych-
nuchum quum certe negari non possit
multum convenire cum forma quae lych-
nucho & mensae sacrae tribuitur, nil est
proclivius existimatu, quam haec ipsa
quae Sanctum olim adytum templi Hie-
rosolymitani exornarunt, heic quoque
conspici.

Porro, ex descriptione lychnuchi in
triumpho conspicui, quae apud Josephum
extat, liquet illum lychnuchum publi-
cum fuisse testimonium quo honore gens
Judaica numerum septenarium prosequi-
retur, quod soli lychnucho sacro con-
venit. Hunc nempe arcanam habere si-
gnificationem, nec ad ornatum modo
septem

septem lychnos ejus fabrefactos fuisse, sed eo numerum indicari septem planetarum ipse Josephus libro 111. Antiquitatum, ubi lychnuchum sacrum describit, affirmaverat. Haec autem est τιμὴ ἑβδομάδος, non diei septimi, ut quidam, sed numeri septenarii honor, quem ἐμφανίζεται, evidenter declarant, lychni ipsius lychnuchi, quoniam septem sunt: ideoque a Josepho ad clarissimam ἑβδομάδα corporum coelestium, ad planetas nobis conspicuos, referuntur: nec Josepho tantum, sed & Philone, qui operosus est in laudibus ἑβδομάδος, & tantum ei τιμῆς defert ut SEPTĒM ἀπὸ τῶν σεμνῶν & ζεβασμῶν dictum putet, & in libro de mundi opificio scribat de hoc numero quod τιμῆς ἔλαχεν ἢ τῇ Φύκῃ τῇ αἰνωτάτῳ & postea ἐκτετίμηται υπὸ τῶν Μωύσεων pag. 29. qua de re vide librum ejus singularem. Hic libro tertio de vita Mosis pag. 669. Ἐξ μὲν κλαίδων τρεῖς δ' ἐκατέρωθεν τὸ μέσης λυχνίας ἐκπε- Φύκαζιν εἰς ἀριθμὸν ἑβδομον. ἐπὶ δὲ πάντων λαμπάδια τε καὶ λύχνοι ἐπτά, σύμβολα τῷ λεγομένῳ πάρα τοῖς Φυσικοῖς ἀνθράσι πλανήτων. Sex quidem rami, tres hinc οὖτε inde, ex medio lychnuchi prodeunt.

deunt, ut numerum septenarium efficiant: & supra illos lucernae & lychni septem sunt, symbola planetarum de quibus physici agunt. Idem in libro quis rer. divin. haer. pag. 511. Tis κατ' ἀριθμὸν τῷ ἑπτάκῃ πλανήτων πορείας μίμημα ἐσίν ή ἵερᾳ λυχνίᾳ καὶ διὰ ἑπτάκῃ λύχνοι διὰ ἐπ' αὐτῆς, Imago est cursus septem planetarum lychnuchus sacer & septem lychni qui supra illum sunt. Plura quae addit omitto, haec ratus sufficere. Christiani ipsi Judaeorum sententiam secuti sunt in mysterio septem lychnorum. Hieronymus epistola ad Fabiolam: *Septem lucernae septem errantia astra demonstrant.* Clemens Alexandrinus Stromatum lib. v. η τε λυχνία ἐν τοῖς νοτίοις ἔκειτο ἢ Θυμιατηρίᾳ διὰ της αἱ τῷ ἑπτάκῃ φωσφόρων κινήσεις δεδήλωνται. *Lychnuchus ad austrum altaris suffitus erat, quo septem luminarium motus declarantur.* Alios praetereo ne sim longior. Quo ergo, nisi hoc, modo manifestus fit honor quem septenario numero deferunt Judaei, quod lychnuchus sacer quum per plures vel pauciores digeri ramos potuerit, in septem digestus sit? Ad usum enim cui non videantur aut sex aut octo aequa apti fuisse? Si autem lychnuchus in pompa trium-

triumphali Titi circumlatus sacer ille non fuit, fuit certe uti sacer, digestus in lychnos & ramos septem. Id Josephus testatur. Similis ergo hac parte est lychnuchos sacro. Cur nihil de lychnuchos sacro addit, qui $\alpha\epsilon\chi\acute{\epsilon}\tau\upsilon\pi\circ$ esse hujus respectu debuit, & cur huic tribuit quod illi summo jure conveniebat? Si lychnuchus ille sacer non fuit, quomodo dici posset illum declarasse quanto in honore sit apud Judaeos numerus septenarius? Si nos, uti solemus, vel in aedibus privatis, vel templis, lychnuchos habeamus pensiles per ramos septem aut novem digestos, num inde efficitur nobis numerum septenarium aut alium, quiscunque sit, esse in honore? Si mensa convivalis quatuor cereos sustinere soleat, vel unum candelabrum quadripartitum sit ut totidem ferat candelas, quid inde ad $\tau\mu\eta\tau\epsilon\tau\rho\alpha\delta\circ$; Nihil omnino. Adeoque si in his vel illis conclavibus atriorum aut aedis sacrae inventus fuisset lychnuchus septem ramis instructus, inde ne colligi quidem poterat, nedum declarari, numerum septenarium apud Judaeos honorari. Quid? quod si vel maxime lychnuchus ejusmodi $\pi\lambda\alpha\lambda\upsilon\chi\circ$ in aede sacra repertus fuisset,

vel

30 DE SPOLIIS TEMPLI
vel a transfugis Tito traditus, poterat es-
se ἀνάθημα & donarium regum AEgypti
vel Syriae aliorumve. Ex conspectu ta-
lis lychnuchi vix nasci haec suspicio po-
tuit. Sed quum ipsa Judaeorum confes-
sione lychnuchus in Sancto ardens id my-
sterii adumbraret, & clarum esset causam
esse oportere, cur septem lychnos, non
plures nec pauciores, sustineret, apte &
vere dicere potuit Josephus illum lych-
nuchum declarasse Judaeos ἐδουάδα ho-
nore singulari prosequi.

Denique, si haec mensa , hic lychnu-
chus, illa non sint quae in Sancto fuerunt,
cur id verbulo non monet? Verum , di-
cet aliquis, si illa fuerint, uti tu opina-
ris, cur & hoc quoque Josephus non ad-
notat? Respondeo, ne bis idem narraret,
quum triumphum describit, adnotasse
mensam & lychnuchum ex Templo fuis-
se rapta , & ex omnibus quae Josephus
narrat de Titi ingressu in templum &
mora quam illic fecit satis liquere haec
vasa Titi jussu inde eruta. An non te-
statur Josephus Titum voluisse ab incen-
dio tutum praestare templum & quae in
eo erant? Num ergo haec vasa in templo
reliquisset inde egrediens flammis voran-
da

da aut rapienda a militibus, quae triumphum ejus adeo poterant ornare & tam pretiosa erant? Mox etiam incenso templo narrat ἀπιάγην fuisse, rapinam, omnium quae iis in manus veniebant. Si lychnuchus, si mensa, alicui militi in prædam cœssisset, num id Josephus reticuisset? anne etiam Tito illa non fuissent oblata? Ex serie ergo narrationis Josephi, iisque quae in descriptione horum vasorum continentur, satis liquere arbitror illa eadem fuisse. Jungit mensam & lychnuchum (uti illa ab eo & aliis semper jungi solent quum de sancti vasis agunt) utraque aurea, erepta utraque e Templo Hierosolymitano, quae p̄ae aliis spoliis excelluerunt omnibus (διέπεπτε πάντων) & lychnuchum ait plane diversae formae fuisse ab iis lychnuchis, quibus Judæi vulgo utebantur, qui que septem ramos habuit sustinentes totidem lychnos. Testor vestram conscientiam, quotquot unquam haec Josephum narrantem legistis, an non protinus de lychnucho & mensa sacra cogitastis? Et quis non de iis cogitaret? Cur ergo, si de altero lychnucho & altera mensa intelligi voluit, lectorem suum non admonet? Oculos denique vestros teftor

32 DE SPOLIIS TEMPLI
testor qui lychnuchum & mensam in ar-
cu Titiano contemplati , & illa Templi
esse Hierosolymitani spolia edocti estis,
an non menti vestrae protinus obversata
fuit lychnuchi sacri & mensae imago?

C A P U T III.

A R G U M E N T U M.

*De altitudine ac latitudine lychnuchi nihil in
sacris literis proditum. Judaeorum de his
sententia haud multum diversa a forma lych-
nuchi uti in arcu Titi exhibetur. Descriptio
formae lychnuchi ex Talmude. Imagines
lychnuchi a Judaeis pictae. Gemmae , &
lychni sepulcrales , in quibus lychnuchus.
Num ex effigie lychnuchi in monumentis
sepulcralibus conspicua tuto colligatur Ju-
daeos ibi sepultos esse. Hypsistarii lychnos
venerabantur.*

Primum quod attentionem meretur in
hac effigie lychnuchi est altitudo ac
latitudo, quoniam de utraque nihil pro-
ditum est in sacris literis? Sine du-
bio tamen Deus utramque definivit nec
Mosis arbitrio reliquit , quoniam Mo-
ses

Ies jussus est eum conficere secundum figuram ei a Deo in monte monstratam. Hoc Philo notat lib. quis rerum divinarum haer. pag. 512. ἀξιον δὲ σκέψασθαι διὰ τοῦ τὸ τραπεζῆς καὶ τὸ θυμιατηρίς τὰ μέτρα δηλώσας, τὸ λυχνίας όπεραν ανέγραψε. Illud inquisitu dignum est, cur (*Moses*) mensae ac altaris suffitus dimensiones declaraverit, lychnuchi vero nihil. Id commune habuit lychnuchus cum operculo arcae, cuius altitudo etiam in Codice sacro non notatur, licet longitudo ejus & latitudo (par videlicet arcae ipsi) ex sacris literis nota sit. Ita legitur in Gem. Hieros. Schabbath fol. 2. 4.

כל הכלים
שהיו במקרש נתנה התורה מידת ארנו ורחבו ונחננה שיעור קומתן חזק טן הכפרת שנייתנה התורה מידת אורכה ורחבאה ולא נתנה שיעור קומת Omnim um vasorum, quae in sanctuario fuerunt, quorum longitudo & latitudo in sacris literis tradita est, etiam altitudo vel crassitudo est tradita, excepto operculo arcae, cuius longitudo quidem & latitudo in lege Moses expressa est, crassitudo nequaquam.


Judei autem altitudinem lychnuchi palmos octodecim complexam fuisse, la-

titudinem, id est, ab ramo primo ad septimum fuisse palmorum duodecim. Ita autem in arcu Titi sculptus est, ut latitudo duos pedes contineat, altitudo fere tres; sic ut latitudo ad altitudinem se habeat uti 2 ad 3, id est 12 ad 18. Verum, ut distinctius cognosci possit qua ratione hanc altitudinem digerant veteres Hebraei, ex corpore Talmudico nonnulla promemus quae in Gemara Menaioth leguntur fol. 28. 2. unde Raschi sua hausit quae habet in commentario ad Exod. 25. 31. **נְבָחָה שֶׁל מִנּוֹרָה י' ח. 2. 31.** טפחים טפחים הרגלים והפרח ג' טפחים וטפחים חלק וטפח שבו נבייע וכפתור ושני פרח וטפחים חלק וטפח כפתור ושני קנים יוצאי ממנה אחד אילך ואחד אילך ונמשכין ועולין בנגד גובהה של מנורה וטפח חלק וטפח כפתור ושני קנים יוצאי ממנה אחד אילך זאהד אילך נמשכין ועולין בנגד גובהה של מנורה וטפח חלק וטפח כפתור ושני קנים יוצאי ממנה אחד אילך ואחד אילך ונמשכין ועולין בנגד גובהה של מנורה וטפחים חלק נשתיירן שם ג' טפחים



ספר יוסף רעת Forma Lychnuchi ex

באורן מהרן Forma Lychnuchi ex



J. G. sec.

טְפָחִים שְׁבַחֲנֵן ג' נְבִיעֵין וּכְפָתָור וּפָרָח

*Altitudo lychnuchi erat 18 palmorum (qui
hoc modo digeruntur) Pedes (quibus innice-
batur) & flos (medii stipitis) faciunt 3
palmos: deinde spatium duorum palmorum
erat laeve & sine ornamento alio: dein pal-
mus in quo erant crater, malum & flos: dein
duo palmi laeves: dein palmus, in quo spa-
tio erant malum & rami duo hinc & inde
ex eo egredientes surgentesque usque ad alti-
tudinem summam ipsius lychnuchi. Dein
palmus laevis, palmus in quo malum & alii
rami duo assurgentis ad altitudinem lychnu-
chi, palmus laevis, palmus in quo malum
& rami duo surgentes ad altitudinem lych-
nuchi. Dein duo palmi laeves, post quos
relinquuntur tres palmi in quibus sunt crate-
res, malum & flos. Verum haec aptius
in tabella oculis subjicientur, quam du-
plicem adjungimus, a Judaeis ipsis, uti
ipsi mentem patrum suorum interpretati
sunt, confectam. In illis quae attentione
digna ducimus, uti formam craterum &
pedis cui lychnuchus innititur quae lon-
ge aliter in una ac in altera conspiciun-
tur, postea significabimus ubi de iis a-
gendum erit particulatim. Non desunt
aliae imagines lychnuchi, in Synagogis*

Judeorum pictae ut ornamento sint pa-
rieti aut valvis armarii sacri. Duas expre-
fas e gemmis Roma ad me transmisit
Brenckmannus noster, quarum altera car-
niola est & satis accurate lychnuchum sub-
tecto columnis fulto, (quasi in Taber-
naculo Mosaico) exhibit , altera ame-
thystus. Inventi sunt & lychni in sepul-
cris, in quibus hic lychnuchus facer de-
pictus creditur, qualem ex Bellorio mox
dabimus. Fabrettus in Inscriptionibus suis
pag. 389. etiam talem lychnuchum in
lapide sepulcrali exhibit , signum , uti
opinatur , Judaei. Non repugno. Nec
tamen affirmare ausim , ubicunque ejus-
modi lychnuchus in sepulcris depictus con-
spicitur, signum Judaei esse. Possent es-
se signa Hypsistiorum , qui multa cum
Judaeis communia habebant & τὸ πῦρ καὶ
τὰ λύχνα τιμῶσι ignem & lychnos venera-
bantur , uti Gregorius Nazianzenus te-
statur in funebri patris sui laudatione : de
quibus multa nuper erudite differuit ami-
cus noster certissimus Maturinus Veyssi-
re de la Croze in vindiciis veterum scri-
ptorum pag. 157.

C A.

CAPUT IV.

ARGUMENTUM.

Crassitudo ramorum lychnuchi, qualis in arcu Titi cernitur, nimia. Lychnuchus Mosai-cus an habuerit ramos adeo crassos. Fuerit-ne auri massa solida. מְקַשָּׁה quid. Rami appellantur קְנִים cannae, καλαμίσκοι qui-dem λεπτοί. Videntur fuisse intus cavi & non admodum crassi. Quam ob rem sculptor in arcu Titi ramos adeo crassos effinxerit. Crassi hi rami lychnucho ligneo conve-niunt, qualem Chasmonaei fecisse dicuntur a R. Jose. E qua materia lychnuchum fa-bricare liceat. Alii inter Judaeos crassos quoque ejusmodi ramos lychnucho tribuunt: quorum sententia minus probatur. Rami-omnes ad eandem altitudinem assurgententes.

Si, uti vulgo creditur, lychnuchus Mo-saicus ex massa auri solida constiterit, quae intus nulla parte spatiū vacuum admiserit, certe adeo crassi esse stipes & rami nequaquam potuerunt, ac in ar-cu Titi extant, quoniam plus auri in eo fuisset, quam talentum, quum ta-men talenti pondus non aequaverit Exod. 37. 24. Sed non est adeo certum מְקַשָּׁה notare

38 DE SPOLIIS TEMPLI
notare solidam ejusmodi massam , & Jo-
sephus certe lychnuchum factum fuisse
διάκενον intus cavum disertis verbis no-
tat. Sic ut **מִקְשָׁה** credi possit intel-
ligendum de auro quod non superinduci-
tur ligno aut alii materiae uti erat au-
rum altaris & mensae ipsiusque arcae foe-
deris , quod ὅλον (unde solum & solidum
Latinorum ortum traxit) aurum est , sive
ὅλόχρυσον . Ita & tubae duae argenteae
Num. 10. 2. jubentur fieri ex argento
מִקְשָׁה , quae tamen intus esse cavae de-
buerunt : adeoque & stipes lychnuchi &
rami ex auro **מִקְשָׁה** esse potuerunt &
tamen intus cavae. Adde & **קְנִים** *cannas*
dici , quas notum est cavae esse.

At fuerint rami lychnuchi intus cavi ,
non est credibile adeo crassos ramos fui-
sse. *Cannas* vocat Kimchi **הַכְּדִים** *tenues bacil-*
los, quia arundini similes. Abenezra vo-
cat hos ramos **חֲלֹלִים** *rotundos, oblongos & excavatos* Καλαμί-
ς nuncupat Philo in lib. quis haeres re-
rum divin. pag. 510. *δειμητέργυται* (*ιερὰ*
λυχνία) *ἐξ καλαμίσκων* *έχασα τρεῖς ἐκατέ-*
ρωθεν, ἐδόμη δὲ αὐτῇ μέση διακρίνεσσα *καὶ*
διατρέχει τὰς τριάδας. Ita factus est lych-
nuchus

nuchus sacer, ut tres tenues calamos habeat utrimque: ipse autem medius stipes discernat ac dividat triades ramorum. Josephus λεπτὸς vocat ramos illius lychnuchi quem in triumpho Titus circumtulit, & quidem καλάμιον, qui quoniam hic ipse est de quo agimus, & in arcu Titi non sunt rami λεπτοί sed crassi, dicendum est sculptorem sibi induluisse, aut oculis potius spectatorum, qui ut distinctius singula ornamenta singulorum ramorum possent conspicere, ampliora illa finxit. Ita in Columna Trajani factum est, in cuius parte summa imagines multo maiores sculptae sunt quam in ima, ut spectator humi stans suprema aequa ac infima visu possit adsequi. Nec enim rami adeo crassi λεπτοὶ dici possunt. Longus in Poemenicis lib. I. pag. 230. καλάμιος λεπτὸς cera junctos memorat ad usum canentum: quales isti calami fuerint & usus docet & notum est. Falluntur ergo quotquot tum inter Judaeos tum Christianos ramos lychnuchi facri adeo crassos fingunt ut λεπτῶν nomen iis non conveniat.

Crassi ejusmodi rami melius convenient lychnacho ligneo quam aureo. Fuit, si R. Jose fit fides, lychnuchus ille ligneus,

40 DE SPOLIIS TEMPLI

gneus, vel ξυλολυχνάχθ (ut verbo Alessandris utar) ille, quem Chasmonaei, pulsis Syris, in Templo secundo dedicarunt.

ר' יוסי Avoda Zara fol. 43. 1.

בר יהודה אומר אף של עץ לא יעשה כדרך שעשו בית השםונאי, R.

Jose dixit etiam ex ligno non licere lychnuchum facere similem lychnacho sacro, quoniam ex ligno lychnuchum sacrum fecerunt Chasmonaei.

Videlicet Antiochus rapuerat lychnuchum aureum e Sancto & in Syriam detulerat i Chasm. I. 21. &c.

καὶ ἔλαβε τὸ Θυσιαστήριον τὸ χρυσέν καὶ τὴν λυχνίαν τὸ φωτός καὶ πάντα τὰ σκεύη αὐτῆς.

Chasmonaei autem alia vasorum loco intulisse in Sanctum leguntur eodem libro i Macc. 4. 49.

εἰσήγεγκαν τὴν λυχνίαν καὶ τὸ Θυσιαστήριον τὸ θυμιαμάτων

(post haec aliena & imperita manus inse-
ruit satis inepte καὶ τὸ θυμιαμάτων, quasi

altare holocaustorum ē Nāō, sive in ae-
de sacra, fuisset, aut eo illatum, quod

fieri nec potuit nec debuit) καὶ τὴν τράπεζαν εἰς τὸν Nāō. Hic non dicitur e

qua materia vas haec constiterint. Ex

inopia autem fecisse eos lychnuchum ex
ligno innuunt satis ipsi scriptores Gema-

rici, quoniam dicunt, postquam res eorum

melius

melius se habere inciperent , factum esse lychnuchum ex argento , denique ex au-

העשירו עשאים של כסף חזרו

והעשירו עשאים של זהב. Prolixè etiam disputant Patres Talmudici in Gem. Menachot fol. 28. f. 1. & 2. de materia e qua lychnuchum sacrum construi fas est. Concedunt, si aurum tanta copia non suppetat, licere ex argento, aere, ferro, stan-

תニア
אין לו זהב מביא אף של כסף של נחשת של ברזל ושל בדיל ושל

עופרת. Ex ligno, osse & vitro non licere ibidem statuunt, nisi quod R. Jose lychnuchum ligneum esse legitimum pronunciet, quia nempe talem Chasmonaei fabricarunt. Verum licet ex ligno confectus fuerit lychnuchus ille Chasmonaeorum, & illi crassiores rami, similes huic nostro qui in arcu Titiano est, videantur posse tribui, quum tamen ex iis quae diximus constet aureum fuisse lychnuchum, capiente urbem Tito, & καλαμί-
ζες appellant ramos ejus auctores idonei, crassitudo ramorum isti causae, quam mox edidimus, videtur adscribenda. Non moramur alios inter Judaeos, qui ramos

C 5 quo-


42 DE SPOLIIS TEMPLI
quoque lychnuchi adeo crassos fere fin-
gunt (vide alteram imaginem lychnuchi
in aes inscriptam capite III.) quoniam
graves rationes mox allatae contra stant.

Denique obſrvandum eſt ramos omnes
ad parem altitudinem directos eſſe (confer
quae ſupra pag. 35. e Talmude deditus) ſic
ut unus lychnus non fuerit altior altero:
ſecus ac nonnulli ramos hujus lychnuchi
pingunt ita ut extremitati fuerint omnium
minime alti, quemadmodum videre eſt
in lychnucho quem lucernae ſepulcrali in-
ſcriptum Bellorius ita exhibet, ut tabella
in aes incifa oſtendit.


C A P U T V.

A R G U M E N T U M.

Numerus & forma ornamentorum lychnuchi.
In arcu Titiano quatuor genera, orbes, ma-
la, flores, crateres, a Josepho quoque agni-
ta. Sacer Codex non niſi tria memorat.
Numerus craterum certus ex ſacris literis.
Mala an 9, an vero 11. Flores an 8 vel 9.
Judaeorum ſententia, ad examen revocata.
Non omnia quae Judaei tradunt pro falsis,
nec omnia pro veris, habenda. Distinguenda
illa




Forma Lychnuchi
in Lucernia Sepulcrali



illa quae Hebraei veteres narrant veluti historica a majoribus accepta ab iis quae ipsi argumentando colligunt latere in verbis Sacri Codicis. Forma craterum quae. נבשׂ num pocula alta & operculis tecta. Scala, genus poculi. Pilei sacerdotum non dicti מגבועות ab insigni altitudine. משוקרים quid. Loci 5 in Sacro Codice, in quibus notatur incertum esse quorsum vox aliqua referri debeat, ad antecedentia an consequentia. Pocula Alexandrina celebrata. Baucale quid. Κλεόπτερον AEgyptiacum. Mala quae. Flores, an lilia.

Qui attendit ad singula ornamenta, lychnuchi quem arcus Titi representat, videbit ad quatuor genera illa referri posse 1. Orbes. 2. Mala. 3. Flores. 4. Crateres. Formam singulorum subjungo



44 DE SPOLIIS TEMPLI

Josephus lib. III. Antiq. cap. 7. etiam quatuor recenset ejusmodi ornamenta. Πεποίηται δὲ σφαίραις καὶ κρίναις σὺν ρόσικαις καὶ κρατηριδίαις, ἐβδομήκοντα δὲ πάντα. Vetus interpres ita reddit, *Fecit autem sphærulas & lilia cum calamis & scyphis, erantque haec omnia septuaginta.* Pōσκα calamos reddit pro malis. In Sacro Codice non nisi tria ejusmodi recensentur, mala, flores & crateres. Quantum vero ad numerum eorum attinet Exod. 25. 33. de crateribus legitur, tres esse debuisse in unoquoque ramo egrediente ex stipite medio, & in ipso stipite medio quatuor, adeoque certus est craterum numerus

18

4

22.

Malum unum jubetur constitui in unoquoque ramo egrediente ex stipite medio. Deinde tria mala in stipite medio sub unoquoque ramorum pari egrediente ex hoc stipite, quae tria erant. Hinc nascuntur mala novem. Sed Judaei duo addenda esse existimant quia stipiti medio tribuuntur Exod. 25. 34. בְּפַתּוּרִיהָ mala ejus, quae vox, quia in numero plurium est,

est, minimum duo notat: quamvis alii putent illa כפְתָחֹרִים non esse distincta a quae commate 35 jubentur ponni sub unoquoque ramorum pari. Adeoque secundum Judaeos numerus erit maiorum

$$\begin{array}{r}
 6 \\
 3 \\
 2 \\
 \hline
 11
 \end{array}$$

Flos unus erat in unoquoque ramo, atque adeo sex. Exod. 25. 33. In stipite medio leguntur fuisse פרחים *flores*, commate 34. Ergo sane aliqui flores illic constitui debent: quot numero incertum est. Quia vox in plurali numero scripta est, non pauciores fuere duobus. Inde nascuntur flores octo. His quidam addunt florrem unum, qui stipiti medio tribuitur Num. 8. 4. usque ad florrem ejus פרחה. Unde resultat numerus

$$\begin{array}{r}
 6 \\
 2 \\
 1 \\
 \hline
 9
 \end{array}$$

Ipsa Judaeorum verba adscribo, quibus

bus demonstrare fatagunt illum esse numerum craterum, malorum & florum, quem indicavi. Ita legitur in Gemara Menachoth fol. 28. 2. וּנְמָצָאו גְּבִיעִים כ'.

ושנים כפתורים אחד עשר פרחים תשעה גבעים מעכביין זה את זה כפתוריין מעכביין זה את זה פרחים מעכביין זה גבעין כפתורים פרחים מעכביין זה את זה בשלמא גבעים עשרים ושנים דכתיב ובמנורה ר' גביעים וגוי וכתיב ג' גביעים משוקדים בקנה האחד כפתור ופרח וגוי ר' ותמני ספר דקניהם הא עשרים ותרתין כפתוריין נמי אחד עשר כפתורים תרי' וששה דקנין וכפת' וכפת' וכפת' הא חד' ספר אלא פרחים תשעה מגן פרחים תרי' וששה דקניהם תמני' הוו אמר ר' שלמן כתיב עד ידכה ועד פרחה מקשה היא Deprehenduntur esse crateres 22, mala 11, flores 9. Craterum unus si desit, reliquos facit illegitimos. Malorum unum si desit, reliqua facit illegitima. Florum unus si desit reliquos facit illegitimos. Quid? quod si vel craterum, malorum, vel florum unum desit, reliqua reddat ille-

illegitima. Verum, dicet aliquis, concedo tibi de numero craterum, eos esse 22, quia scriptum est Exod. 25. 34. In ipso lychnucho (id est, medio stipite qui מנוֹרָה appellatur) quatuor sunt crateres, & commate praecedenti tres crateres in unoquaque ramo, malum & flos: nam quatuor & 18 faciunt 22. De malis quoque largior ea esse undecim quin scriptum est Exod. 25. 34. in lychnucho, (id est medio stipite) esse mala כפתורים quod ad minimum duo notat, & unum in singulis ramis Exod. 25. 33. & dein commate 35 ter vox כפתור mali legitur, quae mala essent in medio stipite sub ramis inde prodeuntibus: atqui ea efficiunt undecim. Sed flores esse novem unde colligitur? scilicet פורחים flores tribuuntur stipiti medio Exod. 25. 34, quo ad minimum debent duo intelligi, & commate praecedenti singulis sex ramis tribuitur flos. Adeoque haec octo efficiunt. Nonus flos, uti R. Schalman dicit, commemoratur Numer. 8. 4. usque ad florem ejus opus erit mikschas.

De numero ipso dubitari posset an revera tot fuerint, si recesserimus a numero craterum in Sacro Codice definito, de quo dubium non est: quoniam in arcu nostro ramis sex a stipite degredientibus plura

plura tribuuntur ornamenta ac Patres Talmudici volunt: nec enim tres duntaxat crateres in unoquoque ramo sed & poma & flores conspicuntur. Haec quidem cur ita voluerit sculptor multiplicare, & ramos hac parte stipiti similes reddere, rationem expiscari nullam queo, nisi quod in archetypo ita viderit. Praeterea plura fuisse poma & flores quam Talmudici tradunt, suspicari licet ex Josepho qui LXX numero partes fuisse lychnuchi scribit Antiq. III. 9. Non solemus quidem ea quae de forma vasorum sacrorum ab antiquissimis Hebraeorum doctoribus memoriae sunt prodita falsi arguere aut negligere, si nec Sacro Codici nec rationi aduersantur: & fidem, quam historicam dicimus, iis non negamus, quando ostendi non potest illos errasse. Distinguendum tamen arbitramur inter ea quae testantur fide majorum, a patribus & avis per manus tradita, & inter ea quae ipsi per modum argumentationis aut sequelae elicunt ex verbis Legis divinae. In illis non repugno quo minus pro veris habentur, quae falsi argui nequeunt: in his disquirere oportet quo jure ex Codice Sacro rem ita se habuisse colligant. Quidni enim nobis

nobis liceat ad examen revocare Judaicas legum Dei interpretationes & dispicere an vim vocum atque modorum loquendi asscuti & recte sint interpretati. Inter haec si retulero quae de numero florū in lychnucho Gemarici scribunt, non dubito quin habiturus sim qui mecum sentient. Mihi certe non fit verosimile ex illis verbis Dei quae laudant posse effici numerum malorum illum fuisse, quem ipsi secundum suam argumentandi consuetudinem fuisse ex iis se posse elicere autumant.

Ad formam quod attinet singulorum horum vasorum, exceptis ζφαιρίοις de quibus nihil nisi ex Josepho constat & arcu Titiano, ita describitur a Maimonide in hilcoth beth habbechira cap. 111. §. ix.
 הַנְּבִיעִים דָוִמִין לְכֹמֹות אֶלְכָנְדְרִיאָה
 שְׁפֵיָהָן רַחֲבָ וּשׂוֹלִיהָן קָצָר וּהַכְּפָתָרוֹת
 כְּמַיִן תִּפְוָחִי כְּרוֹתִים שְׁחָן אַרְוֹכִין סְעַט
 בְּבִיצָה שְׁנִי רַאשִׁיהָ כְּרִין וּהַפְּרָחִים כְּמוֹ
 פְּרָחִי הָעִמּוֹדִים שְׁחָן כְּמַיִן קָעָרָה וּשְׁפָתָח
 Cratères similes erant poculis Alexandrinis, quod os esset latum fundus angustus. Mala erant similia malis

D

Cre-

Cretenibus quae oblonga sunt instar ovi & ab utraque extremitate lata. Flores erant uti flores columnarum, lanci similes cuius labia foras convoluta sunt. Haec fere ex Talmude descripta sunt, in Gemara Menachoth fol. 28. 2. **גְּבִיעֵין לְמַה הָז דּוֹמֵין כְּמַיִן כּוֹסֹת אֶלְכְּסֶנְדְּרִיִּם כְּפָתָרִים לְמַה הָז דּוֹמֵין כְּמַיִן תְּפֻוחִי הַכְּרָתִים פְּרָחִים לְמַה הָז דּוֹמֵין כְּמַיִן פְּרָחִי העמודים.** *Cui rei similes erant crateres? Poculis Alexandrinis. Cui rei similia erant mala? Malis Cretenibus. Flores cui rei? floribus qui in columnis conspicuntur.* De singulis aliqua notabimus.

Crateres **גְּבִיעִים** appellantur, cui voci hanc vim subiectam esse volunt Judaei, ut altum quid & elatum notet. Non refragor. Voces cognatae **גְּבֻעָה collis**, *extollere*, & aliae, eo nos ducunt. Nec tamen existimem necessario de insigni aliqua altitudine hic cogitandum esse. Modica altitudo, qualis est collum, sufficit ut aliquid a **גְּבֻעָה** dici possit. In lychnacho certe nostro quem arcus Titi habet nihil conspicitur, quod craterum nomen gerere aptum est, praeter ea pocula quae modo recta modo inversa sculpta cernimus.

HIEROSOLYMITANI.

mus supra & infra mala tum in truncō
tum ramis lýchnuchi. Id genus poculi
nos *een schaal* dicimus ; meminitque hu-
jus vocis Paulus Warnefridi filius , vulgo
dictus Diaconus , lib. I. de gestis Longo-
bardorum cap. 27. In eo praelio *Alboin*
Cunimundum occidit , caputque illius subla-
tum ad bibendum ex eo poculum fecit quod
genus poculi apud eos scala dicitur , lingua
vero *Latina patera* vocitatur . Nec video
quid obstet quo minus credamus crateres
lychnuchi hanc formam habuisse . Crater
eiusmodi inversus collem omnino refert ;
sic ut non sit necessarium collis formam
quaerere in operculis poculorum Alexandri-
norum , sive βαυκαλίων , ut Judaei vi-
dentur fecisse . Nihil cogit majorem iis
altitudinem aut profunditatem tribuere ;
licet Judaei & his , & pileis sacerdotum ;
qui & ipsi מגבעות dicuntur a גבע , in-
signem tribuere soleant altitudinem , quos
non sequor ob rationem modo allatam .
Veteres interpretes Graeci etiam varie
reddiderunt , Τεύφον , Φιέλην , κόνδυ .

Si constaret quae vis subjecta sit voci
משורדים , & an referenda sit ad גבע ,
hinc aliqua ad illustrationem formae cra-
terum peti possent . Sed Judaei incertum

52 DE SPOLIIS TEMPLI
arbitrantur, debeatne hoc ad praecedentia an ad sequentia reduci, uti videre est in Gemara Hierosolymitana Avoda Zara fol. 41. 4. ubi inter 5 locos Sacri Codicis qui **כֶּרֶע** non habent, hunc quoque recensent. Horum locorum indicia sunt voces quinque **שָׁתַּה אֲרוֹר מֵהָר מִשְׁוָקָרִים וּקְם** secundum seriem qua occurunt in Pentateucho. Primus est, qui ibi memoratur Gen. 4. 7. **הַלֹּא אָמַת חִטְבָּה שָׁתַּה** nonne *si bene feceris, condonatio?* ubi incertum est an **שָׁתַּה** debeat ita jungi in constructione vocibus antecedentibus, an vero debeat sequentibus adjungi, ut sensus sit *poenam feres si male feceris.* Alter est Gen. 49. 7. **עֲקָרוֹ שָׂוָר אֲרוֹר** *avulserunt bovem maledicti,* ubi incertum est an non **אֲרוֹר** debeat referri ad sequentia, *maledicta est ira eorum.* Tertius Exod. 17. 9. **הַלְּחָם** *pugna cum Amaleco cras,* ubi istud *cras* jungi posset sequentibus, *cras stabo in vertice collis.* Quartus est hic ipse locus agens de lychnuchi crateribus, de quibus ambigitur debeatne ita **כְּמִנּוֹרָה אַרְכָּעָה גְּבִיעָם מִשְׁוָקָרִים** *in lychnacho erunt quatuor crateres amygdalati,* an vero **כְּפַתּוּרִיה וּפְרָחִיה** *amygdalata mala ejus & flores* Exod. 25.

34. Quintus locus est Deut. 31. 16. ubi
incerta dicitur esse constructio vocis וְקַם
debeatne jungi praecedentibus הָנֶדֶשׁ שׁוֹכֵב
וְקַם אֲבוֹתִיךְ וְקַם עַמּוּדָךְ ecce tu cubabis cum pa-
tribus tuis & resurges, an vero sequen-
tibus וְקַם surget populus hic & scor-
tabitur. De ultimo loco observa etiam
R. Gamaliel, ut videre est in Sanhe-
drin initio capit is chelek, demonstrare co-
natum ex eo resurrectionem mortuorum
quia Mosi dicitur וְקַם & resurges : adeo-
que junxit illud וְקַם cum anteceden-
tibus. Quod vehementer mirabuntur non-
nulli, quoniam accentus athnach in vo-
ce praecedenti אֲבוֹתִיךְ videtur suadere
contrarium. Sic quoque in loco tertio
supra laudato עַמְלָק habet athnach &
גְּבִיעִים in loco quarto. Ipsi tamen fa-
tentur Talmudici incertam esse harum
vocum constructionem, nec liquere quo
debeant referri ; licet mihi dubium non
sit quin משוכדים debeat jungi cum
quia commate 33 ejusdem capit is
non potest nisi ad גְּבִיעִים referri. Cur
ergo commate sequenti referretur alio ?
Graeci משוכדים reddunt ἀπτετυπωμένας
καρυστάς, vel ἐξημενγόλωμένας incisos for-
ma amygdali, vel nucis, ita ut partes in-

§4 DE SPOLIIS TEMPLI

cisae amygdalum referant: καρπίνην enim nonnulli, quod alii αμυγδαλίνην, vertunt, uti observavit Chrysostomus ad Jerem. 1. 11. Theodoretus quoque ibidem מקל שקד, ράβδον καρπίνην ἡ κατὰ τὸ Σύρον καὶ τὸ Ερετιον αμυγδαλίνην. Sic Philo virgam Aaronis καρπα protulisse scribit lib. 111. de vita Mosis.

Quod attinet ad pocula Alexandrina, formam satis describunt Judaei. Meminerunt etiam scriptores alii, apud quos frequens mentio vitrorum AEgyptiacorum. Martialis

Quum tibi Niliacus portet crystalla cataplus.

Βαυκαλίαι τὸς Κλεοπάτρας memorantur etiam. Nos quoque *baucale* appellamus ejusmodi poculum, een bocaal. Bauca legitur apud Anastasium in vitis Pontificum, unde baucale. Glossae. Bauην, hoc viniferum. Βόκκολα, εἰδὸς ἀγγεῖον. Acron ad Horat. 11. 7. Ciboria Alexandrina poma quae habent similia colocasiis folia, in quorum similitudinem facta pocula eodem nomine appellantur. Hesychius, Κιεώριον Ἀιγύπτιον ὄνομα.

Mala בְּפַתּוֹרִים videntur quibusdam esse mala Punica, φολαι. Figura horum expres-

expressa cernitur in nummis in quibus eit imago Minervae victricis quae dextra habet $\rho\sigma\lambda\alpha\nu$, sinistra galeam. Vide Suidam ad vocem Νίκη. Σφαιρωτῆρας reddunt Graeci.

Flores, **פְּרָחִים**, $\kappa\rho\imath\nu\alpha\tau\alpha\iota\varsigma\circ$, uti & **שׁוֹשְׁנִים** *lilia* Targumistae, & $\alpha\nu\theta\eta$ Symmacho, videntur nonnullis flores malorum Punicorum fuisse, sive balaustia, quorum imagines in Nummis Rhodiorum conspici viri docti existimant qua de re vide Spanhemii, viri illustris, opus egregium de Nummis. Aliis quoque lychnis tribuitur **פְּרָח** flos in Misna Oholoth c. ix. 8. quo nomine suprema pars lychni extrorsum voluta intelligitur. Qui lilia intelligunt, nituntur voce $\kappa\gamma\imath\nu\omega\eta$. At illa quovis flores significare apta est, quod ad Matth. 6. 28. jam ad Interpretibus adnotatum est: hinc Ps. 35. 1. pro **חַבְצָלָת** $\kappa\rho\imath\nu\eta\circ$ quoque habent Graeci.

CAPUT VI.

ARGUMENTUM.

De basi lychnuchi disputatur. Num referat gradus ante lychnuchum locatos. Num יְהִי.

D 4

Pars

Pars inferior lychnuchi an non a sacrilegis ablata. Basis quae in arcu Titiano cernitur non videtur in templo fuisse. Potuit pegma esse sustinens lychnuchum. Sculptor non exhibuit accurate lychnuchum Aquilarum simulacra, lusus sculptoris. Judaei abhorrebat imagines animalium. Alienissimi, stante Templo secundo, ab omni idololatria. Monstra marina non fuere in lychnacho sacro. Modis diversis illa picta a veteribus. Conjectura de causa quamobrem haec monstra hoc loco sculptor fixerit. Alae monstrorum. Alarum varia genera ad certas classes relata.

Judaei tradunt tribus pedibus nixum fuisse lychnuchum : sed nihil simile in arcu Titiano. Meminerunt quidem graduum collocatorum ante lychnuchum, per quos adscenderet sacerdos lychnuchum concinnaturus : sed illi tres erant, non duo : nec illis lychnuchus insistebat, verum erant ante ipsum. Est tamen יְדֵי lychnuchi , sive basis , quam ita describunt, ut videatur posse haberi pro eo, quod in arcu Titi conspicitur. Abarbanel scribit in comm. ad Pentateuch. יְדֵי הַוָּא הַרְגֵל שֶׁל מִנּוֹרָה שֶׁל מִטְהָה הַעֲשֵׂי כְּמַיִן תִּבְהָא שְׁעָלֵיו נִשְׁעַנְתָּה הַמִּנּוֹרָה pes

HIEROSOLYMITANI. 57
pes lychnuchi factus instar cistae, cui insit
lychnuchus. Sed in Gemara Menachot tres
pedes memorant, quibus lychnuchus ni-
titur: ergo forma arcae huc nil facit.
Alii itaque hanc formam arcae concipiunt
supra pedes tres. Ita Raschi יָדְהֹא הַרְגֵל שֶׁל מִתְהָה הַעֲשֵׂי כְּמֵין תִּיבְחָה
וּשְׁלֹשָׁה הַרְגֵלִים יוֹצְאִים וּכְךָ Jerech est
pes inferior lychnuchi factus ad formam ar-
cae & tres pedes alii inde egrediuntur. I-
dem ad Num. 8. 3. scribit esse etiam in
lychnuchis argenteis principum מנורת כסף istiusmodi שְׁלָפְנֵי הַשְׁרִים
supra pe-
des, vel שִׁידָה cistae speciem. Nos quoque
in usu quotidiano habemus candelabra quae
in medio stipitis vel in parte inferiore ha-
bent fere ejusmodi יָד quale describit
Raschi.

Dici posset, quia lychnuchus ex auro
constabat, partem ejus aliquam, basin
videlicet, a Joanne ablatam, & aliam sub-
stitutam qualis in arcu Titi conspicitur,
(si imagines excipias a sculptore Romano
profectas) quum vasis templi aureis ma-
nus sacrilegas injiceret. Josephus rem
narrat lib. vi. de bell. Judaico cap. 16.
Πολλὰ μὲν ἐξ τῶν αἰναθημάτων κατεχόντες
Ναζ̄. πολλὰ δὲ τὰ πρὸς τὰς λειταργίας ο-

D 5

vay-

ναγκαιών Κρεύη, κρατῆρας τε καὶ πίνακας
καὶ τραπέζας. *Multa ex anathematibus*
in Templo dedicatis sustulit, & multa va-
sa ad cultum Dei necessaria, crateras, lan-
ces & mensas. Verum, dicet aliquis,
si lychnuchum mutilasset, id non prea-
teriisset silentio Josephus. *Quis id affir-*
mare ausit? Certe, uti altare aureum a
Tito inventum non fuit in Sancto, quod
tamen ibi fuit, & esse debuit, nec id
conspicitur in arcu Titi cum mensa &
lychnucho, ita potuit pars lychnuchi ex
Sancto fuisse ablata antequam eo Titus
potiretur. Sed quid his immoramus?
Plures causae esse potuerunt quamobrem
sacrilegi illi manus suas ab hoc vase San-
cti, imo templi totius, pretiosissimo, ab-
stinere non voluerint, & fieri vix potest
ut ex iis una certa causa eligatur, quo-
niā vetera monumenta silent.

Mea certe sententia, quod in arcu no-
stro conspicitur infimo loco & pro basi
lychnuchi posset haberi, non videtur pars
censenda lychnuchi sacri aut in Templo
Hierosolymitano unquam fuisse. Quum
Deus Mosen jussit lychnuchum totum
aureum conficere, non fuisse molem au-
ream adeo ingentem & auri collati ratio-

(quo-

(quoniam lychnuchus & omnia vasa ad eum spectantia talenti pondus modo aequarent) & alia suadent. Quod si pegma illud esse dicamus, cui superimpositus fuit lychnuchus dum in triumpho ferebatur, & reliqua, sursum oculos tollendo, credamus lychnuchum ipsum esse, quid fiet de proportione, inter latitudinem & altitudinem? quid de fulcro aut pedibus quibus corpus adeo in latum expansum nisi debuit? an credibile est fulcrum adeo exiguum destinatum fuisse tantae moli sustinendae, quae ad minimum contactum sacerdotis lychnos parantis in periculo corrundi fuisset? Vix mihi tempero, quin errasse sculptorem non dubitanter affirmem, illumque videri contentum fuisse si aliquo modo exhibuerit lychnuchum & partes quasdam ut erant sculpsiterit, alias secus. Ut enim nec tot mala nec tot crateres exhibit in stipite medio, quot Deus ipse in eo fabricari jussit, quotque sine dubio etiam in lychnucho Templi secundi a Tito diruti fuerunt (nec enim ratio dari potest, quamobrem voluissent ii qui lychnuchum fabricarunt a numero malorum a Deo jusso recedere) ita in aliis ingenio suo indulgere potuit. Quapropter

propter nec hoc solo monumento niti ali-
quem volo, ut ea quae hic videt revera
in vasis sacris hic exhibitis fuisse sibi per-
suadeat; sed si aliqua hic conspiciantur
quae aut ratio doceat, aut Josephi alio-
rumque Hebraeorum auctoritas, in istis va-
sis locum habuisse, hi quidem lucem hinc
accipiant, & nobis ipsis argumentum dis-
quisitionis praebeatur quatenus vera forma
vasorum sacrorum videatur in hoc exi-
mio monumento Romano expressa.

Sculptoris quoque lusus est, si quid judico,
par aquilarum basi insculptum, qui orna-
menta haec fore lychnucho existimavit. In
Romanorum monumentis saepe duas aqui-
las conspici, orientis & occidentis Romanis
subjecti indicia, notum est. Josephus lib. III.
de bello capite 5 scribit aquilam esse τὴν
γεμούσας τεκμήριον Romanis. Judaeos certe
non est credibile aquilarum imagines fer-
re voluisse in aede Sancta, & illo vase,
cujus fabricam adeo accurate Deus Mosi
descripscerat, nulla facta aquilarum men-
tione aliarumve belluarum quae hic con-
spiciuntur. Nam aquilae in labris Salo-
monicis, non erant in aede sacra, & a Deo
erant jussae aut ejus instinctu factae & ideo
probatae. Cherubini etiam a Deo jussi e-
rant

rant confici, nec similes ulli animali cre-
to. Aquilam ne imponi quidem portae
magnae ab Herode permiserunt Judaei,
teste Josepho. Verba sunt lib. XVII.

Αρχαιολογ. c. 8. Ἡν γὰς τῷ Ἡρώδῃ τινῶν
πραγματευθέντα παρὰ τὸν νόμον, αὐτὸν ἐπε-
κάλεν ὁ περὶ τὸν Ιάδαν καὶ Ματθίαν· κατε-
κενάκει δὲ ὁ βασιλεὺς ὑπὲρ τὸν πυλῶνα
μεγάλα τὸν ναὸν αὐτούς καὶ λίχνη πολυτε-
λεῖς αἰετὸν χρύσεον μέγαν. κωλύει δὲ ὁ νό-
μος αἰετὸν τε αἰνασσεῖς ἐπινοεῖν καὶ τινῶν
ζώων αἰναθέσεις ἐπιτηδεύεοθες τοῖς βισύν κατ'
αὐτὸν προηρημένοις, ὡς τε ἐκλευον ὁ σο-
φιστὴ τὸν αἰετὸν κατασπάν. — Fecerat enim
Herodes aliqua quae vitio ipsi vertebant
illi qui cum Iuda & Matthia erant. De-
dicaverat enim aquilam magnam auream
& pretiosam supra portam magnam Tem-
pli. Quumque lex nostra eos qui vitam suam
secundum illam instituere student vetet eri-
gere imagines aut animantium effigies, di-
scipulos illos doctores instigarunt ut aqui-
lam detraherent. Idem lib. I. de bell.
Jud. cap. ult. ubi factum hoc nar-
rat addit, αἱ ἔμιτον γὰς εἶναι κατὰ τὸν
αἴτον ἢ εἰκόνας ἢ προτομὰς ἢ ζώς τινὸς ἐ-
πάνυμον ἔργον εἶναι. Nefas esse, si in ae-
de sacra imagines, vultus aut simulacra
animarum

DE SPOLIIS TEMPLI
animalis cuiusdam existerent. Haec verba
 erant doctorum. Illic dixerant l.xvi i.nem-
 pe Ant. c. 8. interdictum esse *eikónas áva-*
sáσteis ἐπινοεῖν, *erigere imagines*, *vel ere-*
ctionem imaginum comminisci (*ἢ πυργὸς*
ἐπινοήσαντας apud Eusebium in Onomasti-
 co apud vocem *Βαζὴλ* reddit Hierony-
 mus *qui aedificaverunt turrim*) aut *τινῶν*
ζώων ávathésieis ἐπιτηδεύεθαι. Quae mani-
 festo ostendunt, non licuisse aquilarum
 in Sancto imagines tolerare.

Quid? quod adeo abhorrerent ab omni
 specie cultus imaginum, ut tropaea ipsa,
 in theatro Hierosolymitano ab rege He-
 rode erecta in honorem Caesaris, su-
 spicarentur nescio quid sub armis re-
 conditum habere, & *eikónas* esse *τοῖς ὅπλοις*
περιειλημένας, *imagines armis vestitas*,
 quum tamen mieri essent stipites; & vo-
 luerint ea retegi, ne viderentur vetitas
 imagines in urbem recepisse. Rem nar-
 rat Josephus Antiquitatum lib. xv. cap. i i.
 Petronio se maestandos obtulerunt potius
 quam imagines Caesaris inferri Hierofo-
 lymis sinerent. Josephus Antiq. xvii i.
 ii. Pilatus quum nocte intempesta oper-
 tas Caesares imagines insciis Judaeis Hie-
 rofolymis intulisset, coactus fuit eas au-
 ferre.

ferre. Vide Josephum de bell. Judaico lib. II. c. 8. Idem quum non in Templo sed in Regia Herodis, quae simul erat ὁρία επιτρόπων in qua Pilatus uti procurator Iudeae degebat, auratos clypeos dedicasset nulla imagine insignes nec quicquam habentes Legi divinae contrarium, solum nomen dedicantis & cui dedicati essent continentes, commota plebs petiit eos tolli: quod quum Pilatus recusaret, Tiberii Imperatoris jussu facere coactus est. Rem narrat Rex Agrippa in epistola ad Cajum, quae extat apud Philonem legatione ad Cajum, pag. 1033. & 1034. qui & testatur in Templo nullam esse effigiem, aut in occulto aut in propatulo οὐδέν εἶναι αὐτοῦ μηδέ τε Φανερὸν οὐδέ φανέσ. Unde clarum est aquilas & monstra marina nulla lychnucho insculpta fuisse. Quomodo rex Agrippa pro gente Judaica intercesserit, ne statua Caji Hierosolymis poneretur, legere est in eadem Philonis legatione ad Cajum & Josephi Antiq. l. XVIII. cap. 15. Quid? quod ipsum Salomonem in eo peccasse censeat Josephus Antiquitatum libro VIII, capite 2, quod boves aereos labro suo sive mari supposuerit: οὐδὲ γάρ, inquit,

αὐτὰ

αὐτὰς ποιεῖν ἔσιον. Ego quidem heic cum Josepho non facio: nec enim videtur Deus, si Salomon imagines boum contra Dei legem in atrio Templi locasset; hanc aedem sibi ut gratam sedem agnitus fuisse & probaturus operam a Salomone in ea constituenda atque adornanda positam. Vide 1 Reg. 8. 10. & 9. 3. adde 2 Chron. 7. 1. Sed licet erraverit hac in re Josephus, discimus tamen quam alieno fuerint Judaei qui stante Templo secundo vixerunt ab idololatria animo, quippe qui sine offensa Numinis imagines boum in atrio constitui non posse crederent. Idem lib. 111. Antiq. 5. varias res pictas in velis tabernaculi narrat, exceptis *ζώοις*, & ibidem, *πλὴν ζώων μορφῆς exceptis animalibus.* Verum, dicet aliquis, Cherubini ipsi *ζῶα* Josepho dicuntur. Fato: sed ipse addit *ζῶα* fuisse nullis cognitis *ζώοις* similia, quod de aquilis certe dici nequit. Quae quum ita se habeant, creditat qui volet, has imagines quas lychnuchus arcus Titiani oculis offert, ab Judaeis ipsis lychnucho impressas fuisse: ego non adducar ut credam.

Non magis mihi laborandum censeo, ut ostendam monstrâ illa marina, caudis & alis

alis instructa operis Romani esse, non Judaici. Qui aliqua monumenta veteris aevi ante oculos habuerunt, viderunt animalia his similia. In Claudi Menetrei opere, quo symbolicam Dianaë Ephesiae statuam illustravit, Romae edito anno 1688, est pag. 57. iconcula Dianaë duplex in cuius parte adversa monstrum huic simile conspicitur. In columna Trajani, pag. 31, 42, 72. & 76 edit. Bartoli, etiam haud multum diversa animalia conspicuntur. Capita modo equina, modo vitulina, modo alia pro arbitrio iis tribuuntur. Vide Bellorii lucernas sepulcrales tab. I. fig. 4. Ipsum illud monstrum cui Andromeda fuit exposita (quod ante urbem Palaestinae Joppen in insula Paria contigisse quidam veterum memoriae prodiderunt: unde suspicari aliquis posset, ut repraesentaret memoriam victoriae de Syris Palaestinis, id est, Judaeis, reportatae, haec animalia hic sculpta fuisse) in nummo Trajani ita fere pingitur.

Alas saepe addiderunt veteres hippocampis & similibus monstribus marinis, quod & ipsum heic videre est. Quod ad earum spectat magnitudinem, non est quod conqueramur nimis exiguae illas appictas

66 DE SPOLIIS TEMPLI
esse quam ut ad usum volandi compara-
tae videantur. Non ignorarunt prisci ar-
tifices, quum heroibus aut Diis speciem
humanam indutis alas tribuebant, illas
spatiosas esse & prolixas debuisse, quod
clarum est ex nummis Graecorum & Ro-
manorum in quibus Victoriae imago ala-
ta conspicitur. Solus est Cupido alis adeo
exiguis instructus in monumentis vete-
rum, ut vix alarum nomen mereantur.
Verum temere nimis propterea carpuntur
artifices. Habuit olim Cupido, ut quo
vellet pervolare posset, alas maximas, sed
Dii eas praesecuerunt, & Victoriae illas
dedere gestandas. Rem narrat Aristo-
phon in Pythagoriste, postquam dixisset
Cupidinem a Diis duodecim condemnata-
tum fuisse ut coelo ejiceretur ob seditio-
nes & lites quas excitabat,

--- αποκόφαντες αὐτῷ τὰ πλερά
"Ινα μὴ πέτηται πρὸς τὸ ςρανὸν πάλιν
Δεῦρ' αὐτὸν ἐΦυγάδεισαν εἰς ήμᾶς κάτω"
Τὰς δὲ πλέρυγας αὖτε τῇ νίκῃ Φορεῖν
"Ἐδοσαν περιφανὲς σκῦλον αὐτῷ τῷ πολεμίῳ.

--- Alas ipsi praeciderunt
Ne in coelum posset iterum evolare,
Et illum in exilium depulerunt hic ad
nos. Quas

Quas autem ipse gesserat alas, Victoriae
Dederunt, spolium hostile praeclarum.

Verum & aliud mihi videor in forma harum alarum observasse. Temere luserim si hoc nil sit. Incurvae sunt & quales animalibus monstrosis (quale etiam in arcu nostro conspiciuntur) veteribus tribui deprehendo; non certe tales, quales Dea Victoria gestat. Confer alarum quadruplicum formam in nummo, qui in Bege-ri thesauro Brandenburgico tom. I. pag. 301 extat.

Quae quum ita se habeant, videntur alae in monumentis veterum pictae aut sculptae in quinque genera dispertiri posse, quorum primum constituunt alae Cupidini datae, de quibus mox egimus. His non memini alas minores videre tributas alicui Deo vel animali. Alterum genus est alarum, quas mysticas nuncupare possumus vel arcani quidpiam denotantes, nec adeo ad usum volandi datas quam quidem ut per eas aliqua velocitas rerum quibus tribuitur aut quidpiam simile indicetur. Ita in gemma thesauri Brandenburgici pag. 78. & 76. operis Bergeriani sunt lapides quibus caput impositum est & pone ala, quos ille pro Ter-

68 DE SPOLIIS TEMPLI
mino alato vel Jove terminali habet. In
codem opere pag. 269. in nummo regis
Prusiae caput est alatum , & pag. 49;
Minervae cassis alam habet. Ita & ca-
duceus Mercurii est virga volatilis, ut Mar-
cianus Capella loquitur. Tertium alarum
genus est recurvum, quod monstrofis ani-
malibus tribuitur: vide gryphem ita ala-
tum in opere modo laudato Begeri pag.
496. Sphingem alis insigniter in orbem
flexis pag. 421. Equum marinum alatum
pag. 331. qui sine alis exhibetur pag. 325.
& 294. omnia ex nummis descripta. Ad-
de equum marinum alis istius formae in-
structum in nummo Commodi a Lampsac-
enis cuso : vide Patini numism. Impp.
ex aere pag. 211. Quartum dein &
maximum alarum genus est, quod Victo-
riae tribuitur, in nummis sexcentis qui su-
persunt & passim conspicuntur in cime-
liarchiis. Egregie sculpta illa hodieque
videnda est in columna Trajana, ubi hu-
mana forma major & alata clypeo votivo
inscribit. Vide, cui Romam adire non
licet, tabellam in aes incisam , numero
septuagesimam , rerum in Columna Tra-
jana sculptarum. Quintum Psyches alae,
quae formam habent alarum papilionum?

Notum

Notum est Psychen amicam esse Cupidinis. Huc gemmam refero a me visam, in qua Cupido face admota papilionem urebat. Haec sunt quae de alis monstorum monenda habui, & universim de iis, quae animadvertenda duxi in simuloacro lychnuchi. Ad mensam sacram me consero.


CAPUT VII.

ARGUMENTUM.

Mensae sacrae effigies in arcu Titi. Superficies ejus plana, nec limbo eminente circumdata. Id probabile redditur ex usu quem praebuit in excipiendis panibus. Cautio, ne confidentius de forma vasorum sacrorum loquamur, aut quid decorum quid indecens fuerit. Duo limbi in mensa sacra, unus qui tabulam mensae supremam, alter qui cingulum pedum, ambit. ή quid. Στρεπτὸν κυμάτιον, σερπτὴ σεφάνη. Opus interrasile quid. Varia cymatiorum genera. Quare σερπτὰ quaedam dicantur. Ὁρθὸς εὐσπερτός opposita. Emendatio Isidori tentata. Limbus, quia ή, num proptereaeminuisse supra superficiem mensae dici debeat. Limbum altaris aurei & arcae foederis hac parte similes fuisse hinc suspicari licet.

Effigies mensae, quam in aes inscriptam
E vides, ita conspicitur hodie in arcu
Titi, ad me missa ab Henrico Brenc-
manno, Academico Florentino, ut mihi,
qui id rogaveram & cui eum maxime cu-
pere non ignorabam, satis faceret. Pri-
mum quod in illa dignum animadversio-
ne duco hoc est, quod ex conspectu vas-
culorum mensae impositorum, quorum
unum satis est integrum, colligere liceat
planam fuisse omnino mensae superficiem,
nec circumdatam limbo ejusmodi aut co-
rona quiae eminuerit supra ipsam mensae
superficiem, & ab viris doctis tantum non
omnibus creditur mensam cinxisse. Quum
enim haec vascula non desierint in acu-
men, qua ratione consistere non potuif-
sent, sed planitatem in ima parte habe-
re debuerint, ita hic exhibentur, ut
haud minor planities, quam hic conspi-
cienda est, videatur ipsis dari posse cui
insistant. Tota itaque conspiciuntur ab
imo ad summum, adeoque limbis eleva-
tus supra tabellae superficiem nullus hic
loci est, qui si esset partem vasculorum
infimam conspectui subduxisset, quando-
quidem videlicet ita sculpta est mensae
superficies, ut oculus spectatoris non in-
telliri.

MENSURA POLLICIS, QUORUM XII PEDEM CONSTITUUNT,
QUO IN METIENDO USUS SUM.




Joa. Alex. del Romæ

1	Tabulae	Altitudo interior est pedis	1	et	2	pollicum
2	—	Latitudo interior	1	&	6	
3	—	Altitudo exterior	1	&	8	
4	—	Latitudo exterior	2	&	9	
5	Tuba dexterior		2	&	1	
6	Altera tuba		1	&	22	

ТРЕБУЕТСЯ ПОДАТЬ ВЪ МИМОЮ ПРОПОТ АДИКАЗН
ВЪ ТАКЪ ОДИНАДѢМЪ И ОНО

[]



зимы и съѣзжай съ
всеми обицами
всеми обицами

telligatur sublimior illa extitisse, quare & ipsa superficie planities non conspicitur ita uti solet ab aliquo cuius oculus ipsa superficie est altior. Quoniam ergo in simulacro mensae arcui Titi insculpto non animadvertisimus quicquam, quod indicet planam non fuisse omnem mensae superficiem, & in Sacro Codice nihil legatur quod huic sententiae adversum sit (de limbo enim cingulum mensae ambiente videbimus infra) putamus mensam ita pingi opportere ut aequalis per omnia sit summa tabulae superficies.

Suadere hoc ipsum quoque videtur usus mensae, panum exceptio. Quum enim fieri vix possit quin particulae quaedam aut micae in mensam decidunt, tolli debuerunt & mensa purgari, quod adducta manu aut alio instrumento commodius fieri potuisse videtur, ita ut colligantur in aliquod vasculum, quam si in pavimentum Sancti flatu oris spargantur aut instrumento aliquo idoneo congregentur, quod ex angulis limbi eruere partes minimas haud ita facile poterat.

Sed haec ita dicta sunto ut sententiam meam confirmem; nequaquam ut contendam aliter se rem habere non potuisse,

saud

E 4

aut

72 DE SPOLIIS TEMPLI

aut aptiorem futuram fuisse mensae formam si sine limbo eminente fuisset quam si omnino. Absit enim vero ut ego aut mortalis quisquam tantum sibi tribuat ut de vasis sacris scribens, de quorum forma ambigitur inter viros doctos, dicere audiat eam formam, quam ipse decoram autumat, adeo preferendam formae alii, ut eam solam veram esse affirmet, & reliquas inornatas esse & minus aptas ad usus, quibus illa vasa Deus destinavit, asserat. Qum enim homines simus & quotidie imbecillitatem ingenii nostri experiamur, atque adeo falli possimus, quid futurum credimus si hac in re fallamur, & uti ineptam rejecerimus atque indecoram illam vasorum sacrorum formam, quae revera auctorem habet Deum? Fieri certe potest, ut illa forma, quae nunc mihi uti vera arridet, postea ob rationum graviorum momenta displiceat. Temere ergo mihi agere videntur quotquot aut de Templo aut Tabernaculo vasisque sacris scribentes audacter, licet certa & extra dubium posita sententiae suae firmamenta non habeant, aliter esse non potuisse, vel si aliter res se habuerit, incongruum & indecorum futurum fuisse scri-

bunt

bunt. Nobis sufficit dicere, videri, quantum quidem nobis perspicere datur, aptissimam fore ad usus a Deo definitos talem vasorum formam; nec tamen ita ut aliae ineptae sint. Multo minus de ornatu & elegantia judicium ferendum est, & ex nostris moribus & consuetudine templa aut palatia extruendi censendum de strutura tabernaculi & templi. Unicuique genti suum est ingenium, & quod in Europa ornatum atque elegans videtur, Asiaticis saepe displicet: atque ita vicissim. Quid? quod una eademque gens in ornatu vasorum & forma sibi non constet, verum illa forma mensarum, cistorum, lectorum, vestium, quae patrum nostrorum memoria elegans habebatur, nobis haud placet: nec meliorem augur nostra sortem fore venturorum respectu nepotum. Praeterea, quum de ornatu templi aut vasorum facrorum agitur, non hominum judicia sed lex & voluntas Dei ponderanda sunt. Ornatum sufficientem habet, quod ita coniectum est uti Deus voluit: nec est quod ars humana & ingenium credant ornatius fore, si de suo quid addiderint.

Ceterum duos fuisse limbos in mensa

E 5

Exod.

Exod. 25. Moses docet. Josephus etiam meminit ἐλικῷ quae non modo partem superiorem mensae, τὸ ἀνω μέρες ἢ σωματός, verum & inferiorem, τὸ κάτω, cingebat. Uterque in mensa arcus Titiani conspicitur, superior integer, inferior confractus. Λί dicitur uterque, *labium Interpreti vulgato, σρεπτὸν κυμάτιον Alexandrinis*, quod genus est ornamenti habens undae similitudinem, qua propter a Vitruvio nonnunquam unda nuncupatur. Alibi vertunt σρεπτὴν σεφάνην. Josephus lib. xi. Antiquitatum cap. 2: ubi mensam describit a Ptolemaeo Philadelpho AEgypti rege donatam Templo Hierosolymitano (quae descriptio omnino enucleanda est ab illo qui descriptionem mensae hujus sacrae apud Josephum intelligere cupit aut explanare) illi quoque tribuit σεφάνην παλαιστιῶν & κυμάτια σρεπτὰ, uti & Aristeas lib. de 70. Interpp. Clemens Alexandrinus σρωμάτων libro vi. eadem κυμάτια mensae memorat, & visus est sibi mysterium quoque corum detexisse. Γῆς δὲ αἰματικόνα ἡ τράπεζα δηλοῖ, τέος αρχὴν ἐπειριδομένη ποτὶ, Θέρει, μεταπόρῳ, ἔαρι, χειμῶνι, δι' ὃν ἀδεύει τὸ ζετός. Διὸ καὶ κυμάτια σρεπτὰ Φησὶν ἔχειν τὴν

τὴν τράπεζαν, ἡτοι ὅτι περιόδοις καιρῶν κυκλεῖται τὰ πάντα, ἢ καὶ τάχα τὴν ὠκεανῷ περιπέραυδέν εἰδῆς γῆν. Mensa videotur telluris imaginem exhibere, fulta quatuor pedibus, aestate, autumno, vere & hyeme, per quos annus fertur. Propterea & undulata ornamenta habere mensam dicit, quoniam circuitu tempestatum omnia ambiuntur, aut forsitan quod Oceani undis terra cingatur. Plutarchus in Symposiacis lib, vii. quaest. 4. mensam ipsam domesticam imaginem telluris referre existimat: ἐμοὶ δὲ ἑδόνες καὶ μίμημα τὸ γῆς οὐ τράπεζα εἴναι &c. quae ibi legere est. Nomen זָרָה spargendo ductum videtur aliquid significare quod ultra superficiem alterius rei spargitur & sese effundit. Nec mensae huic modo sed & altari aureo & arcae foederis tribuitur זָרָ aureus.

Qui formam limbi superioris & inferioris (utrobique enim זָרָ fuit) in mensa contemplatur, videbit medium ejus partem magis esse depresso & formare cavitatem, quod opus interrasile (hanc vocem Vulgatus hic habet pro σεπτὸν, uti & glossae σεπτὸν interrasile) dici potest. Quare & illos qui cymatium hic fuisse statuunt, & qui opus interrasile,

qui-


qui^{que} coronam & σεφάνη (modo voces haec accipiāntur uti apud veteres solabant) in unam sententiam congregare licet. Hoc est quod Josephus innuit, quum de mensa scribit quod cavitate in habeat ad unumquodque latus, quae per spatiū palmare excavet ipsam limbi substantiam tam superioris quam inferioris. Videlicet plana non erat limbi superficies sed excavata cymatiis, ita quidem ut spatiū profundius in medio esset, quod istis cymatiis cingebatur. Quare Interpretes Graeci σπεντα illa κυμάτια appellabant, id est quae non essent eodem ductu in longum porrecta, sed flexa & circumlata, quale ornamenti genus etiam hodie solet adhiberi in fabrica mensarum & vasorum similiū. Cernimus illa κυμάτια σπεντα evidenter in ipsa mensa arcus nostri, in qua illustranda versamur, non in limbo tantum superiore sed inferiore: & ut mentem nostram clarius exponamus, in tabella delineatam damus partem columnae ordinis Corinthiaci in ruderibus templi Hierapolitani inventae, ubi ad literā A κυμάτια formam videre est & quidem recti. Literae autem CDEF indicant figuram κυμάτιας σπεντα & circumflexi. Κυμάτιον ab undac

Variae
formae Cymatiorum.


A



B



C




D

F

G

E





undae forma dici certum est, quare in cymatio duplex flexus sive curvatura cernitur uti ad literam A. Haec aliquando a forma convexa incipit & desinit in concavam, uti ad lit. B. aliquando a concava capit initium & desinit in convexam. Vitruvius etiam duplex genus κυματίων, Doricum & Lesbium, distinguit. Est & κυμάτιον inversum: vide literam G.

Ex iis quae diximus de cymatiis posset aliquis suspicari illa quae κυμάτια σπεντὰ nuncupantur Josepho non dici σπεντὰ quod convertantur in orbem, sive quod flectantur per quatuor latera limbi, sed quod voce σπεντῶν notetur quale genus id cymatiorum fuerit. Duplex enim est Vitruvio & aliis cymatiorum genus, rectum alterum, quale reperitur in summo trabeationis Corinthiae, quare Hesychius κυμάτια esse dicit ὑπεροχὰς πάρα τέκτος καὶ λιθοποιοῖς, alterum inversum, quale in stylobate ordinis ejusdem. Adeoque rectum, ἐρθὸν, quum sit ἀσπεντόν, interprete Hesychio, inversum, quod τῷ ὁρθῷ opponitur, σπεντὸν erit. Verum quo minus haec sententia mihi probetur, sequentia faciunt. Σπεντὸν in glossis veteribus *interrasile* redditur, atque ita etiam Vulgatus interpres,

78 DE SPOLIIS TEMPLI
pres, *coronam interrasilem* mensae tribuit
pro *xυματίοις σπεπτοῖς*. Praeterea cyma-
tium ὁρθὸν sive rectum idem est ac in-
versum, quando nempe *xυμάτιον* in qua-
drum, uti in mensa nostra, circumduci-
tur: illud enim quod conspicitur a C us-
que ad D rectum erit, quod ab E ad F,
erit inversum: atque ita, si mensa in-
vertatur, *xυμάτιον* quod ante erat inver-
sum apparebit rectum. Quapropter haec
xυμάτια inversa non magis quam re-
cta dici possunt, nec *σπεπτὰ* dicuntur,
ita ut huic nomini illa vis subiecta sit,
quod sint cymatia *inversa*, non *recta*:
sic ut alia de causa nomen *σπεπτῶν* ade-
pta sint. Adde quod in descriptione
mensae Ptolemaicae Josephus *σπεπτῶν*
fuisse *xυμάτια* scribat & deinde quam
formam αὐαγλυφῆ referrent addat, un-
de consequitur *σπεπτὰ* illa non dici re-
spectu formae quam gerebant aut sculptu-
rae, sed conversionis qua circa limbi su-
perficiem euntia in se redibant, quali lim-
bo tabulae pictae & specula cingi atque
ornari solent.

Obiter dum de cymatiis agimus, emen-
dandum suspicamur locum in glossis Isi-
dori, *Cima, cocumula*. Scripsit forsitan Isido-
rus,

rus, *Cymation*, *undula*. Illi qui Vitruvium & alios architectonicen tractantes inspicit, apud quos *cymation* & *undula* promiscue usurpantur, non displicebit, uti opinor, haec correctio.

Ut limbus hic fuisse credatur altior ipsa mensae superficie (licet hic certe nulla indicia appareant limbi eminentis, & plura ad hujus rei confirmationem dicta sint in initio hujus capit is ubi de mensae superficie) impulit quosdam vox coronae, ac si illa miro artificio efficta imaginem regiarum coronarum gessisset. Sunt qui & originem vocis זורה ad partes vocent, ac si *spargere* se debuerit זר supra mensae superficiem. Sufficit quod ultra mensae superficiem se spargat & planitatem tabulae superioris aliqua parte augeat illam ambientando. Simus ergo his contenti, & credamus limbum talem aureum mensae tabulam cinxisse, qualis in arcu Titi exhibetur.

Ex quibus intelligitur non videri aliud limbum tribuendum esse altari aureo & arcae foederis, quoniam iisdem verbis traditur Exod. 37. 26. וַיַּעֲשֵׂה לְוָרֶת אֹהֶב סִבְיבָּה fecit ipsi limbum aureum circumquaque, & commate 2. ubi nescio quae orna-

ornamenta pro suo & seculi nostri genio pictores & artifices fingunt, quae nos omnia uti non necessaria, & maxime incerta, omittimus, quoniam non liquet ea illic fuisse. Limbum quidem arcae foederis concedi posset aliqua sui parte eminuisse ultra arcae superficiem, quantum videlicet requiritur ad coercendum arcae impositum operculum, ne moveri loco posset; quamvis ne hoc quidem sit necessarium, quoniam vel minima pars eminentia, vel particula auri gemina instar clavi ferrei in latere interiori operculi vel margine arcae, prohibere apta est ne operculum delabi possit; sed altaris aurei limbum, uti & limbum mensae nostrae, quamobrem ipsa altaris superficie altior rem statuerem causam nullam video. E contrario, quoniam hoc altare imaginem habebat altaris exterioris quod in atrio erat, ἵστοπεδον id in summo fuisse, ut sola cornua eminuerint, suspicor. Porro ipsa cinerum ablatio ex altari aureo, ut a Judaeis veteribus describitur, ita ut cinis everriculo propulsus vasculo excipiatur **כיבד את השאר לתוכו של המתני** Tamid. 111. 9. id est, postquam pugillo quantum poterat cinerum ceperat,

reli-

reliquum everriculo propulit in vasculum) videtur ostendere non eminuisse circumquaque limbum ejusmodi; sic ut ex hoc ipso limbo altaris aurei aliquid vicissim petamus ad confirmandam sententiam nostram de limbi figura qui mensam cinxit, quoniam idem loquendi modus de utroque usurpatur (uti vimus) & in altari aureo non eminuit ultra superficiem altaris.

Praeterea, si quae in limbis arcae & altaris ornamenta statuenda sint, dicamus, iudicium ferentes de uno vase secundum id quod de altero certum est, more Judaico, **דְּנֵין בְּלִי מַכְלֵי**, opere interrasili fuisse, ita ut **κυμάτια** quoque **ερεπτὰ** illic fuerint. Ita Vulgatus interpres i Reg. 7. 27. reddit, *ipsum opus basium interrasile erat*, ubi in contextu Hebraeo legitur **וְזֹה מְעַשָּׂה הַמְכֻנוֹת מִסְגָּרוֹת לְהָם** *hoc autem erat opus basium, cingula ipsis erant.* Videlicet, uti **מִסְגָּרָת** mensae sacrae erat opere interrasili, ita quoque haec **מִסְגָּרוֹת** esse credidit.

CAPUT VIII.

ARGUMENTUM.

*De cingulo pedum mensae. Id sacer codex
מִסְגָּרָת nuncupat. Tria probe distinguenda
1. זֶר, limbus ambiens summam mensae ta-
bulam. 2. מִסְגָּרָת cingulum pedes mensae
in medio connectens, 3. זֶר limbus alter
qui cingulum ambiit. Forma nominis mis-
gereth enucleata. Grammatici Arabum in
formis nominum explicandis diligentes. No-
mina loci quae. Latitudo hujas cinguli pal-
maris. Cubitus pentadorus & hexadorus
Judeis. Discrimen palmae & palmi. Lim-
bus cingulum ambiens qualis.*

In arcu Titi adeo manifeſte cingulum
mensae conſpiciendum datur, ut niſi
ipſa ratio & conſuetudo juberet illud ibi
fuiſſe neceſſarium ad pedes ſuo loco reti-
nendos jungendosque, & Sacer Codex
illud indicasset voce **מִסְגָּרָת**, non debue-
rit ita negligi ac vulgo fieri conſuevit.

Deus, poſtquam commate 24 capitibus
xxv Exodi dixerat, & facies mensae lim-
bum (**זֶר**) aureum circumquaque, mox ad-
dit, & facies ei (**מִסְגָּרָת**) cingulum pal-
mare circumquaque, & cingulo ipſi facies
lim-

limbum aureum circumquaque. His verbis clarum puto innui, postquam tabulae supremae limbus aureus erat circumdatus, conficiendum esse cingulum ex eadem materia, ligno videlicet, qua ipsa mensa constans, & auro obductum, quod pedes contineret, ne loco suo dimoveri & recedere a se invicem possent: & huic quoque cingulo limbum non ex ligno, sed ex auro, confectum addendum esse, quo pars ejus anterior ornaretur, & similis esset parti mensae superiori quam alter limbus aureus circumdabat.

Hae partes videntur mihi a Mose ita distincte indicatae ut saepe miratus fuerim tam obscure & intricate haec verba ab interpretibus versa fuisse, quo ipso prodiderunt sibi tenebras in illorum lectione offusas fuisse. Vulgatus interpres ita reddidit: *Facies illi (mensae) labium aureum per circuitum: & ipsi labio coronam interrasilem altam quatuor digitis & super illam alteram coronam aureolam.* Haec & ab Hebraeo contextu abeunt, nec aliquid clari distinctive animo offerunt. Versiones alias prudens praetereo. Distinguenda erant tria, quorum primum est **לִבָּשׁ**, *limbus*, cingens ipsam supremam

F 2 men-

84 DE SPOLIIS TEMPLI
mensae tabulam, alterum **מְסֻגָּרָת**, *cinculum*, five taenia palmaris quae pedes conjungit & cohibet, tertium **זָר**, limbus qui hoc cingulum ambit.

Ipsa forma vocis **מְסֻגָּרָת** collata cum vi subjecta verbo unde originem traxit, **סִגְנָר** nempe, veram notionem vocabuli vel sola prodere apta est. **סִגְנָר sagar** est *clausit*, *conclusit*. Graeci per *κλείω*, *ἀποκλείω* & *συγκλείω*, reddere solent. Ab eo itaque quod pedes ambitu suo includat & clausum (**סִגְוָר**) conjunctione eorum corpus efficiat cingulum hoc nomen adeptum est. Quare & **מְסֻגָּרָת** per *σύγκλεισον* reddunt Graeci **z Reg. 7. 27.** alibi per *Σύγκλεισμόν*.

Ad formam nominis quod attinet, video illam plerumque negligi a lexicographis & interpretibus, quamvis & frequentibus exemplis in usu sermonis Hebraei, & monitis grammaticorum Arabum, qui in illis distinguendis accuratissimi sunt, eo duci debuerint, ut conferendo voces **similium** formarum elicerent significacionem quae ipsis convenit. Deprehendit nullo negotio, qui deducta a verbis nomina, praeposito tribus radicalibus literis Mem cum Chirek, contemplatur, illa fe-
re

re similia esse voči פְּקָדֵשׁ & locum indicare cui actio illa convenit quae per tres literas radicales notatur. Ita שָׁכַן est habitavit, מַשְׁכַּן *locus habitatus, tentorium,* in quo veteres habitare solebant. A שָׁמֶר custodiit fit locus custodiae, i. e. carcer; a בָּצָר munivit מִבְצָר locus munitus, a סִתְרָה latuit מִסְתָּר locus in quo latere licet, a שְׁגָבָה altum esse מִשְׁגָּב locus editus, a פָּרַץ rupit מִפְרַץ locus perruptus, & quae sunt plura talia. Nec in his tantum, quae appellare possumus nomina formam loci perfectam habentia, sed & in aliis quae ob literarum ex quibus constant naturam paullum ab hac forma quae in perfectis est recedunt, cernere est hanc significationem obtainere. Ita מִזְבֵּחַ altare est, ac si locum dicas וְזָבֵחַ, sic מִעַלְיָה עֲבֹר transitus notat ab עֲבֹר transiit, ubi Chirek sub Mem non est, ob sequens cateph-patach sub litera gutturali Ain. Sic מִעַלְיָה locus quo statur, statio, a עַמְדָה stetit. Interdum additur תְּ vel תָּ faemininum, quod nec ipsum tollit significationem vocis ad quam forma modo indicata manudicit, uti מִקְלִיעַת locum incisionis notat a קְלִיעַ incidit, מִשְׁבָּצָה locus ocellatus a שְׁבָץ, sic

Nec tamen in his omnibus adeo rigide notio loci spectanda est, ut non in ea ipsa contineri significatio instrumenti saepe credatur, quoniam saepe idem locus & instrumentum est, uti carcer משמר locus est & instrumentum custodiae, uti טקטר & מקטרת thuribulum notat, locum nempe & instrumentum in quo odores incenduntur; atque ita & מסגרת significabit locum in quo pedes conjunguntur, vel, si quis mavelit, instrumentum coniunctionis: nec enim haec sollicite & more Philosophico enucleamus, solum spectantes usum & significationem vocum quam illis assignari ab Hebraeis cernimus: nec aliquas voces esse negamus hujus farinae, quibus tamen illa loci notio non adeo convenire existimabitur, de quibus hic uberius agere non constituimus. Quia enim non omnes significaciones radicum Hebraicarum nobis hodie sunt cognitae, vix videtur observatio plurimarum vocum exemplis nixa debere convelli paucis aliis, quae si sermo Hebraeus integer ad aetatem nostram pervenisset, forsitan

iis ipsis confirmaretur. Certe quum vocem **מסגרת** ita explicamus, uti fecimus, nihil nos ea in re commisisse a linguae genio alienum, facile, ut opinor, unusquisque nobis largietur.

De latitudine cinguli hujus mensae non agam multis. Notum est Judaeos tradere in quibusdam vasis templi adhibitos fuisse cubitos qui sex palmos comprehenderent, in aliis autem cubitos qui quinque essent palmorum. Ad sola autem altaria, vel nonnullas partes eorum, spectavit cubitus quinque cubitorum, sic ut mensa haec sacra & cetera vasa ad cubiti hexaduci, non pentaduci, mensuram confecta sint. Ad illustrationem eorum quae dixi duos adscribo locos, Hieronymi alterum, alterum Vitruvii. Hieronymus ita scribit comm. in Ezechieli caput XL. *Palmus rectius Graece dicitur παλαισης* σ est sexta pars cubiti. *Alioquin palmus σπιθαμην sonat*, quam nonnulli pro distinctione palmam, porro *παλαισην* palmum, appellare consueverunt. Vitruvius lib. II. de architect. cap. 3. *Doron Graeci appellant palmum*, quod munerum ratio Graece $\Delta\omega\gamma\sigma\nu$ appellatur: id autem semper geritur per manus palmum. Ita quod est quoquoversus

quinque palmorum pentadoron , quod qua-
tuor , tetradoron dicitur : & quae sunt pu-
blica opera pentadoro , quae privato tetra-
doro struuntur . Idem lib. III . cap. I .
Palmus habet quatuor digitos.

Ornatum fuit hoc mensae cingulum
limbo ♂ dicto in sacris literis , qui simi-
lis fuit , quantum ex arcu Titiano datur
colligere , limbo alteri qui tabulae supre-
mae latera ambiit , & κυματίοις σπερποῖς ,
quem admodum ille , ornatus . Quae ita-
que de illo limbo capite praecedenti no-
tavi , huc quoque referri possunt .

CAPUT IX.

ARGUMENTUM.

*Pedes mensae formam babuere pedum anima-
lium. Ita in arcu Titi conspiciuntur. Ita
& Josephus testatur. Τελέως ἀπνεγτιορέεο γιδ.
Pedes lectorum Doricorum. Interpres Jo-
sephi vetus ad partes vocatus. Pars supe-
rior pedum fuit quadrata. Ab eo discrimine
aliquid petitur ad confirmandum locum cin-
guli mensae in medio pedum.*

Mensae sacrae pedes (qui singulari artifi-
cio fusi ex auro non lignei & inaurati,
uti

uti mensae επιθεμα, & cingulum erant Exod. 37. 13.) in arcu Romano factos non ita laesit confectrix rerum vetustas, quin deprehendere liceat illos desinere in simulacra verorum pedum, quales sunt animalium; nam unguilarum tripartita distinctio manifeste adeo se oculis ingerit, ut data opera hanc iis formam sculptor dedisse credi debeat, quod ita viderit in ipsa mensa aurea se pedes habuisse. Josephi verba eodem nos ducunt lib. III. Antiquitatum cap. 6. Ἡραν δὲ αὐτῇ πόδες τὰς μὲν ἐξ ἡμίσχυς ἔως τὴν κάτω τελέως αἰπητισμένοι, οἷς Δωριεῖς προσιθεῖται ταῖς κλίναις ἐμφερεῖς, τὸ δὲ πρὸς αὐτὴν αντεῖνον τετράγωνοι τῇ ἐργασίᾳ. Quorum sensum ita reddimus: Erant mensae pedes, qui dimidia parte illa quae inferior erat perfectam omnino pedum formam habebant, quales lectis suis apponere solent Dores; illa autem parte dimidia quae sursum tendebat quadranguli erant operis. Convenit forma pedum ejusmodi cum gravitate & soliditate operum Doricorum. Amabant illis naturam ipsam imitari. Quid convenientius, quam pedes fingere pedibus animalium similes? Pedes erant τελέως omnino, uti Josepho An-

98 DE SPOLIIS TEMPLI

tiq. III. 1. regio, qua ducebantur Hebraei ad montem Sinai appellatur *χώρα τελέως ἔρημος*, ac si diceret, nomen illa habet *מִדְבָּר* solitudinis, ac revera *τελέως* ita erat. Et hi demum *πόδῶν* nomine vere nuncupari merebantur, qui imaginem pedum habebant. *כֶּרֶע הַמֶּתֶה* vocant Talmudici tales lecti pedes: vide Succa cap. II. misn. 2. Illi erant pedes *τελέως ἀπηρτισμάτων omnino perfecti*, vel *ad plenum* (uti in glossis veterum est) quod nostrates dicent, *volmaakte voeten*. Quid enim, obsecro, sibi haec volunt, quod pedes dicantur *τελέως ἀπηρτισμάτων*, nisi id quod monuimus illis innuatur? Num id erit, pedes fuisse perfectos & summo artificio elaboratos? Verum an hoc de pedibus magis affirmari debuit quam aliis partibus? Et quis non animadvertist aliquid ad formae descriptionem spectans in his verbis latere, quum pars superior pedis & inferior opponantur, ita quidem ut illa operis fuerit quadranguli, haec autem *πέδης τελέως ἀπηρτισμάτων*, quod & magis convenit parti inferiori quam superiori, quoniam pars inferior, uti & planta pedis animalis, solum subiectum premit & attingit. Quare ad verum accessit mea sen-

sententia proprius interpres Josephi vetustus, quem Epiphanium vocant, qui ita reddit: *Erant autem pedes ejus ex medietate inferioris partis facti per circuitum rotundi & tornatiles, quod vero ad superiora tendebat quadranguli operis erat.* Sed nec ille mihi satis facit, quod Flaviana illa οῖς Δωριεῖς προσιθεῖται ταῖς κλίναις ἐμφεγεῖς plane praetermisserit ac si in suo codice illa non legisset; &, quod caput rei est, verba τελέως ἀπηρτισμάτοι in Latinum sermonem convertens scribat *facti per circuitum rotundi & tornatiles.* Hanc ego vim in illis verbis non agnosco, sed in τετορευμάτοι, σπόγγυσλοι & similibus.

Ad partem quod spectat pedum superiorum, quae exhibetur in arcu Titiano, fateor illam quadrangularis formae fuisse inde non posse colligi. Sed quis ignorat quadrata, ut poëtae verbis utar, attritis angulis rotari? Si pedes, ante sexdecim secula quadratim sculptos eosque ut hi sunt exiguos, tempus ipsum ambederit, si quod alias partes hujus operis laefit atque erosit, heic quoque effecit ne adeo distincte acuta angulorum promineant, quid miramur? Josepho sane accurate mensam describenti fides omnino habenda est prae scul-

sculptore, si vel maxime partem pedum superiorem rotundam dedisset. Quod autem pes mensae usque ad medium quadratae, & inde ulterius formae diversae fuerit, praeterquam quod ad ornatum faciat, etiam confirmat & illustrat ea quae de loco cinguli pedes connectentis scripsimus. Id in medio locabamus, quod illuc in arcu Titi conspiciatur, quum ceteroquin ponи potuerit circa infimam partem pedum non longe ab ipso solo. Nunc quum didicerimus pedes in duo distinctos fuisse, ita ut aliam formam habuerit pars superior alteram inferior, conveniens est ut circa medium locetur, ubi flexus & quasi crus pedis est, & quoniam quadratum erat, ut impingat in latus pedis quadratum, sic ut infima pars cinguli congruat infimae parti quadratae pedis.

CAPUT X.

ARGUMENTUM.

*Annuli pedibus mensae sacrae affixi heic nulli.
Fuerunt tamen in mensa Mosaica. Num
postea,*

postea, quando mensa efferri extra Sanctum non debuit, annulis caruerit. Sculptor videtur annolorum rationem non habuisse. Cui lateri mensae annuli fuerint appositi. Forma horum quae. Collatio Sacri Codicis cum Josepho ut situs annolorum & figura eruantur. נֶגֶב לְעַמִּחָה quid. Νέγεβ ἐξαιρετος quid Vectium per annulos transmissorum nomina Hebraea & Graeca. Boia quid.

Annulos vel uncos hic nulos cernimus ad latera pedum mensae. Fuisse tamen in mensa Mosaica certum est, diserte mandante Deo Exod. 25.26. וְעַשֵּׂת לֹו אַרְבָּע טְבֻעוֹת זָהָב annulos aureos. Salomonem, quum templo suo mensas inferret, imitatum esse formam mensae Mosaicae credibile est: certe contrarium non legitur. Ita quoque de mensa Templi secundi credere par est. Nec est quod quis putet annulos mensae affixos duntaxat usum suum habuisse stante tabernaculo quum vasa sacra deferri ad loca diversa debuerunt, & inutiles fuisse postquam templo condito illata locum mutare non habebant necesse. Iudei quidem nonnulli, ut supra vidi- mus, de mensa & lychnucho Templi secundi agentes, monent illa non licuisse loco

loco suo movere, quoniam **תָּמִיד**, *semper*, coram facie Dei illa manere oportuit. Verum manere illa semper loco suo debuerint, ideone annulis caruisse mensam credemus? Quid ergo de arca foederis statuendum est, quam Deus voluit etiam in Templo Salomonico non modo annulos retinere quos habuit, sed & vectes eis perpetuo inesse, etiamsi illa ad **מְנוֹחָה** & quietem suam pervenisset. Adeo quod Josephus hos annulos ita describat ut non e Mose sed **αὐτοψίᾳ** didicisse eorum formam videatur.

Omiserit ergo forsitan sculptor Romanus hos uncos, uti res exigui momenti & vix futuras conspicuas spectatori in solo consistenti: praecipue quum vectes ipsos, quorum gratia hi unice facti erant, secum non attulisset Titus. An potius hic illud latus mensae exhibitum dicemus in quo annuli non erant? Nam a duobus modo lateribus erant annuli. Sed tunc certe ad latera pedum sculpi debuissent. Prius magis mihi arridet. Si tamen sculpi annuli debuerint in hac imagine, ad latera collocandi fuisse videntur: quod colligimus ex Josepho qui vectes mensae describens illos dicit non fuisse **דִּיןְךָנֵס** aut perpetuo

petuo rectos, sed desinentes in περούδας antequam εἰς τὸ ἀπειρον pertinerent. Illud videtur indicare longiores fuisse vectes, quam fuissent siquidem lateribus mensae minoribus fuissent applicati & illic annuli fuissent: nam ita vix cubiti spatum fuisset plane διηνεκὲς, quoniam vectes διηνεκεῖς non erant nisi usque ad locum annulorum: annuli autem, si lateri mensae breviori fuissent affixi, cubiti spatio, certe non amplius, distabant. Probabile ergo est, ut longiori spatio διηνεκεῖς concipientur fuisse vectes, longiori mensae lateri adhaesisse. Ceterum non memini hac de re aliquid certi in scriptis Hebraeorum legere, fuerintne vectes latitudini mensae an longitudini admoti. De arca tradunt vectes ejus lateribus brevioribus adhaesisse, ita ut velum quod Sanctum & S. S. distinguebat contingerent; quum arca ita esset posita, ut longitudo ejus latitudini tabernaculi & templi esset obversa.

Hi annuli Hebraice טבעות dicuntur, ab infigendo, טבע, adeoque licet annulos etiam notent quibus digiti inseruntur, aptissime tamen uncos & alia indicant, in & per quae aliquid transmittitur, notatusque

96 DE SPOLIIS TEMPLI
que jam est ab aliis eorum error, qui quando vectes aut transilla jungentia afferes tabernaculi trajecta per **טְבֻעָות** legunt, annulos sibi fingunt pendulos, per quos transilla missa non tam arcte afferes jungunt ac per uncos qui dimidii circuli aut quadrati figuram habent, & ejusdem formae transilla admittunt. **Δακτυλίς**
Graeci interpretes reddunt ubique, excepto quod bis **ζύμελης** exhibeant. De annulis per quos vectes arcae foederis mittebantur, diserte notat **Josephus Ant.** i i i.
6. illos per totam ligni substantiam penetrasse, **κρίκος τὸ παντός διήκοντες ξύλος**
De annulis mensae nihil tale memoriae prodidit.

Situs horum annulorum vix potest explicari nisi & figura simul sciatur, quam unus Josephus tradidit. Videndum paucis quid in Sacro Codice de illis legatur. Jubar artifex annulos vel uncos collocare **לעמת מסגרת**, id est (uti nos verterimus mox reddituri rationem versionis) *ut respiciant versus cingulum*, Misgereth dictum, quod pedes mensae ambit in medio altitudinis mensae. Sunt qui haec verba ita ceperint ac si ipsi cingulo misgereth annuli affigi debuerint; sed aliud notat

notat **לעמת**, *versus*, *e regione*. Abesse ergo a misgereth debuit, sed ita tamen ut ad eam conversi sint: quod ut clarissime capi possit Josephus facit, qui docet vectes immislos in hos uncos fuisse *νέρθεν ἐξαιρετὰς deorsum exemtiles*, id est, si quis eos ex annulis vellet eximere, non debuisse vectes usque ad capita sua & ulterius per uncos propelli (quod fieri non poterat propter vectium *περιστίδας*) sed versus inferiora ferri secundum ductum ipsius unci, donec per spatum apertum inter uncum & pedem mensae demitti possent & eximi.

Vectes ipsi *εγλεῶι* appellantur a Josepho, qui tamen vectes arcae & altaris aurei non ita vocat, sed *σκυταλίδας*, unde suspicio oritur credidisse eum vectes mensae fuisse figurae diversae a figura reliquorum. **בדים** appellantur Num. 36. 14. vectes mensae, uti & arcae & altaris aurei: nam lychnuchus non portabatur vectibus **בדים** dictis sed super **המוט**. Confudisse videntur haec duo **בדים** & **כות** interpretes Graeci, vel potius utrisque vocibus nomen dedisse commune, *ἀναφορεῖς* reddentes & hanc & illam, uti & Latinus, *vectes*. Rectius tamen di-

98 DE SPOLIIS TEMPLI
stinxissent, uti alibi מות per γυγὸν &
κλοιὸν reddentes. Κλοιὸς in glossis veteri-
bus redditur *Boia* & equuleum. Et ibi-
dem in *Boia*, κλοιὸν περιτίθημι. Ita enim
has voces usus videtur junxisse, ut pro
una habita hunc locum in glossario occu-
paverit. Sic puella in *capillo* dicta fuit
medio aevo innupta. Sic in *craſtinum*, in
domo, in *procinctu* & alia inter voces ab
litera i inchoatas in glossis inveniuntur.
Ceterum in glossario Latino Saxonico
Aelfrici grammatici legitur *Nervi*, *Boia*,
fot-copsa. Boia vocem esse probam Hie-
ronymus docet in libello de nominibus
Hebraicis ad vocem Luza, αἱμύδαλον.
Licet quidam interpretentur κλοιὸν, torque
videlicet damnatorum, quam vulgo Boiam
vocant. Inde est vox Belgica, boeyen,
i. e. vincula quibus rei constricti tenen-
tur. Idem in commentario ad Jeremiae
cap. xxvii. Κλοιὸς qui Hebraice appellan-
tur *MUTO TH*, & sermone vulgari boias
vocant.

CAPUT

CAPUT XI.

ARGUMENTUM.

Duae acerrae thuris supra mensam in arcu
Titi conspicuae. Probabile redditur non alia
vascula illic sculpta esse quam ea quae thus
continebant. Forma acerrarum thuris quae.
quid notet. בזבין appellantur a Judaicis.
Conciliantur Josephi & Talmudicorum di-
cta de igne altaris in quem thus cremandum
immitteretur. Mayis patera distincta a בז,
& idem quod σκετάπιον. Scuta, Scutella,
אסקוטלא, Belgarum schotel. Citra, cetra.
כערות forfitan vasa quibus acerrae thuris de-
ferendae ad mensam imponebantur. Con-
suetudo orientalium vasa majora minoribus
supponentium ad usum & ornatum. Acer-
ras thuris impositas vasis majoribus testan-
tur Talmudici. Vascula minora בזבין ap-
pellant, majora כפות. Judaei saepe voces
Hebraeis in scriptis suis aliter usurpant ac
scriptores sacri. Utrumque illud vas אן
Judeis aliquando dictum. Quinque vasō-
rum haud multum dissimilium genera, quo-
rum usus erat quotidie in Sancto. קערות quid
notet. Conjectura de מנקיות & for-
fitan & illa par vasorum fuisse quorum u-
num sustinuit alterum, & ad mensam spe-
ctasse. Num calami inter panes positi &
stipites erecti illis vacibus indicentur. Thus
G 2 effu-

effusum e vasis in ignem altaris. Haec vasa σπονδία recte dicta. Φιάλαις & σπονδίαι diversa. Acerrae in quibus thus ad altare deferebatur, Θυμιατήρια Iosepho, uti & illae in quibus prunae in Sanctum inferebantur. Θυμιατήριον in Sancto Sanctorum non erat altare suffit. Altaris aurei mentio vel omissa ab iis qui vasa sancti describunt vel non conjuncta cum descriptione mensae & lychnuchi. Vox Θυμιατήρια in Iosepho restituta. Nomen acerrarum נַכְנָה nos dicit ad formam literae Capb. Acerrarum thuris magnitudo.

Par vasculorum mensae impositum non videtur nisi geminas thuris acerras exhibere. Praeter panes, quos hic nullos conspicimus, quoniam Titus eos in mensa non invenit, cessante diu cultu sacro, nihil aliud in mensa solebat poni praeter duo illa vascula, vel sola, vel uti nos suspicamur imposta ταῖς קָרְנוֹת de quibus mox; quum videlicet mensa loco suo in tabernaculo vel templo erat constituta. Quum enim velo coniecta una cum apparatu suo deportari debuit per deserta Arabiae, voluit Deus non tantum panes super eam esse, & has acerras, verum & קְשׁוֹת וּמִנְקִיּוֹת. De quarum vocum significatione, praecipue ultimarum, ambigitur

bigitur inter viros doctos: nam קערות probabile est lances vel vascula planiora & supponenda vasculis כפורה dictis indicare, qua de re mox uberius erit disceptandi locus. Adeoque quum non alia vascula quam geminae thuris acerrae iusta sint a Deo mensae sacrae imponi, cur in arcu Romano super mensam conspicuum par vasculorum aliud fuisse credemus?

Huc facit quod ipse situs id suadeat. Sola illa conspiciuntur super mensam, quum tamen plura vasa sacra Hierosolymis delata ad manum fuerint, quae vix illustriori loco in pompa circumferri & spectatorum oculis exponi poterant quam supra mensam. Caussa ergo fuit quam obrem haec duo minuta vascula, eaque sola, super mensam sint collocata, de quibus sine dubio interrogaturi essent omnes qui ea viderent quid sibi illa minuta vascula, eaque solitaria, & vix aliquo externo ornatu, si materiam excipias, oculos perstringentia vellent. Hoc videlicet erat quod hae acerrae vasa essent ipsi mensae propria, adeoque supra ipsam mensam sculpi debuerint, & ea quidem sola quod sola illa mensae olim imponi consuevis-

sent. Unde obiter animadvertere licet, hinc quoque liquere mensam quae hic conspicitur esse mensam sacram, non aliam, quoniam acerrae solae huic mensae vascula erant propria.

Forma ipsa id confirmat. Nomen כְּפֹתָה, si quis ex vocis origine judicium de figura ferre deberet, istiusmodi vascula notare, quae uti haec cava sunt, & recipiendo thuri aptissima, qualia hic exhibentur, unusquisque nec injuria existimaret. Quamobrem nihil vetat quominus hoc vasculorum par idem esse credamus quod nomine כְּפֹתָה in Sacro Codice nuncupatur.

Veteres quidem Hebraei in Misna Joma cap. v. misn. i. appellant thuris illas accerras mensae sacrae imponendas non בְּזִבְחֵי לְבָנָה, sed כְּפֹתָה, כְּפֹתָה שֶׁל לְחֵם הַפְנִים Bezeche thuris quod apponi debet (aut imponi) panibus propositionis. Ita & in Siphra nuncupantur fol. 263. i. editionis Venetae quae cum luculento commentario קָרְבָּן אַהֲרֹן prodiit. Unde suspicari licet idem vas בְּזִקָּה & כְּפֹתָה nuncupari. Ita quoque in Codice Tamid cap. ii. misn. 5. בְּזִבְחֵי שְׁנִי בְּזִבְחֵי לְבָנָה

לְבָנָה שֶׁל לִחְם הַפְנִים *Illic* (loquitur de foco altaris exterioris secundo, qui erat circa angulum altaris notozephyrinum, 4 cubitis fere ab illo septentrionem versus remotus) *dabant* (in ignem) *duo Bezeche thuris panum facierum*. At Josephus ab hujus Misnae auctore dissentire videtur lib. IIII. Antiq. cap. 10. scribens illud thus quod in sacra mensa fuit crematum fuisse *τὸν τῷ ἔρῳ πυρὸν ἐφ' ᾧ ἀφίλοκαυτῆς τὰ πάντα, igne sacro quo omnia holocausta cremabantur.* Is erat focus altaris primus, id est major, ad ortum altaris: nisi forsitan Josephus omnem altaris exterioris ignem appellaverit ignem holocaustorum, uti altare ipsum altare holocaustorum dici sollet, etiamsi non iis solum sed aliis multis usibus servierit: praeterquam quod ipsi Talmudici de numero focorum in altari exteriori non consentiant. Sed omnino notandum, Josephum non de altari Templi secundi loqui, in quo tot foci distincti fuerunt, sed de altari tabernaculi, ubi non nisi unus fuisse videtur.

Chaldaeus quoque interpres reddit **כְּפֹת** sane vascula notat aut eadem ac **כְּפֹת** aut certe haud multum diversa. Judaei etiam **בְּזִיכֵין** vocant vascula


104 DE SPOLIIS TEMPLI
cula quibus oleum in lychnucho sacro
continetur, quae si respiciamus formam
quam illa habent, aut cavitates in quas im-
mittuntur, in lychnucho arcus Titiani
(vide supra pag. 6.) non adeo profunda
erant quam כפות five acerrae thuris, con-
cava tamen ita ut a lancibus planioribus
debeant distingui. In cultu quotidiano
agnus mane, agnus vesperi, mactabatur, &
quum aliae partes manu deferrentur ad
altare, intestina & pedes קרבים וכרעים
dicuntur imposita vasi בזק versus altare
delata. Tamid. iv. 3. Ita quoque sanguis
agni Paschalis excipiebatur in בזק, quod
ipsa rei natura suadet concavum & pro-
fundum fuisse ut sanguinem rite contine-
re posset: verum ablegmina ejusdem agni
in כניש כְּמַיִדָּה, deferebantur danda
in altare. Ita legere est in Codice Mis-
nico Pesachim capite quinto, misna 5.
& 10. Sic in Joma vi. 7. in μαγίδαι ju-
venci & hirci comburendorum ablegmi-
na deferebantur ad altare: Sunt autem
μαγίδες lances, (vide Plinium Hist.
xxxiiii. ii.) & μαγίς λέγεται πάρος Α-
ραψι τὸ σκυτάλιον, Magis apud Arabes
nuncupatur scutella. Liceat ita reddere
verba auctoris Etymologici magni. Nos
ipſi

ipſi a forma ſcuti (aut ſcutulae, quod Salmasio placet) ſolemus lances *ſchotelen* nuncupare quaſi ſcutellas. Scutam enim, uti ſcutum, veteres dixere. Lunicius: *ſcutam ligneolam cerebro infixit.* Scutum minus erat clypeo. Clypei penditum, ſcuta equitum erant, teste Servio AEn. ix. 370. Hebraei veteres in Codice Mifnico Moed Katon cap. III.

7. hanc vocem **אַסְכּוֹטָלָא** usurparunt pro vase in quo cibus deferri ſolet, uti & **קָנוֹן** quod eſt **κανόν** Graecum, canistrum unde Belgicum *Canis*. **Σκυτάλης** in glossis veteribus redditur *Citra*. Docta manus ad marginem codicis mei emendavit *Cetra*. Non dubito, quin vere. Chaldaeus interpres Onkelofus voce eadem **מְגִיסֵּת** reddit vocem Hebraeam **קָרְוָה** Num. 4. 7. quod & iſum nomen eſt quo vas exprimitur mensae sacrae non quidem ſemper ſed aliquando (quum deferebatur de loco in locum) impositum, & uti nos quidem existimamus lanx iſiusmodi, cui **כֶּתֶת** id eſt acerra thuris imponebatur, quando thus ad mensam ſacram deferri debuit: quod quoniam ad illustrationem notionis & uſus ipsarum **λιβαρωτίδων** de quibus agimus, omnino G 5 facit,

facit, paullo altius repetendum est ab ipsis gentium Asiaticarum consuetudinibus.

Mos est populorum orientalium, qui una cum potu calidae ad nos dimanavit, vasculis rotundioribus & minoribus (qualia nos quoque & plerique Europaei, vobis ab Hebraea קַכְתִּים ortis, solemus appellare *copas*, *coupes*, & *copper*) supponere & usus & ornatus causa; ne videlicet aliquid ex vase minori effusum pereat, aut, si liquor sit calidus, manum bibentis laedat admotam vasculo, vascula alia planiora quae lancium magis formam habent, & nobis *schoteltjes* vel *bakjes* dicuntur, his fere similia.



Id hodie copiosius docere non est necessaria-

cessarium quo usus potus calidi foliis
Theae & fabis Coffi mixti ita invaluit,
ut vix dies, imo vix diei particula, sine
illo multis abeat, non sine dispendio bona-
rum horarum. Vascula in quibus oleum
erat ad usum nocturni luminis habebant
apud ipsos, uti & apud nos aliquando,
alia vasca planiora, **כלי תחת הנר לקל**
בָּהֶם אֲתָה הַשְׁמֵן וְנִצּוֹת quibus oleum
excipitur, si quod ex vase interiori ef-
funderetur, aut scintillae, uti Talmudici
loquuntur in Codice Schabbath, capite
III. misna 6. aut quibus aqua infundi-
tur, uti ibidem legere est.

Quum pulvis suffitus quotidie deferre-
tur in Templum Hierosolymitanum, eo-
dem modo acerra ipsa thuris solebat im-
poni alii vasi, minor majori, ne quid ex
vasculo minori effusum in pavimentum
decideret: tunc enim, si quid pulveris
aromatici ex vasculo minori in majus
sparsum esset (**נתפזר ממנו**) poterat ex
majori in quod inciderat tolli, uti legere
est in Codice Misnico Tamid capite vi,
misna 3. Vasculum autem minus in quo
thus erat appellant Hebraei in eodem
capite & Misna **בָּזֶק**, uti & Chaldaeum
interpretem reddidisse vocem Biblicam

כף

כָּפֶת audivimus, & vasculum majus nuncupant כָּפֶת, uti solet tempus vocum usum immutare, & Judaeis ipsis non est religio vocibus Biblicis aliam significacionem tribuere ac iis convenire certum est in Codice sacro: quod si hoc ageremus ex usu vocis שׁוֹפֵר, עַצְרוֹת, שׁוֹפֵר & aliarum possemus confirmare. In versione Hispanica Codicis Tamid, a Judaeis edita, haec verba שׁוֹכָה בְּקַטוּרָת הִתָּה נוֹטֵל אֲתָת הַבּוֹזֵךְ מִתּוֹךְ הַכָּפֶת וְנוֹתְנָה לְאֹהֶבֶת ita exhibentur *Aquien tocava el sáhumerio tomaua la copa pequenna de entre la grande, y dava la grande a su amigo.* Apposite, si quid judico. בּוֹזֵךְ est *copa* (liceat ea voce uti) *minor*, & כָּפֶת est *copa major*, copa tamen utraque.

Ita etiam כָּפֶת uti vas majus describitur capite quinto Tamid §. 4. הַכָּפֶת דּוֹמֶרֶת לתרקב גְּרוֹל שֶׁל זָהָב מְחֻזֵּק שְׁלוֹשָׁה קְבִין וְהַבּוֹזֵךְ הִיה בְּתוּכוֹ פְּלָא וְגְדוֹשָׁה כָּפֶת, Vas, dictum, simile erat tricabio (modio alii, Hispani quarteron: ita & Sabinorum lingua trimodiae dicebantur vasa minora quae capiunt quinque aut sex modios, teste Acrone ad Horat.

Horat. Sat. I. I.) magno aureo , quod continebat tres cabos , ו בזק erat in medio ipsius plenum & accumulatum pulvere suffitius , ו operculo coniectum . Erat ergo בזק , uti alii Hebraeorum recte scribunt , כף קטוֹן בְּתוֹךְ כַּפֵּ גָּדוֹל Cap parvum in medio cap magni . Quare suspicor aliquando permutata fuisse in Misna ipsa voces בזק & כף tanquam synonymas , uti quum in hoc ipso Codice Tamid capite septimo , misna 2. legitur sacerdotes , munere peracto in Sancto , stetisse in gradibus pronai cum quinque vasis quibus usi fuerant , ita ut singuli singula haec manu tenerent

I. הַטְנִי , vasculum aureum , quo cincis ab altari interiori exceptus continebatur . Describitur in Misna Tamid . IIII . 6. mentio fit etiam in Misna Kelim XVI . 7. operimenti vel quo Teni tegitur . Mox videbimus & כף habuisse .

القسطنطيني . 2. الكونز Arabum , חכון .

Damascenorum . Vasculum aureum quo utebatur ille qui lychnuchum sacrum aptabat . Distinguendum hoc est a כוס , quod in eodem capite tertio

tertio §. 4. nomen datur vasi vel poculo aureo ex quo agnus sacrificii jugis ad aquari solebat, & in Siphra vasi, quo sanguis victimarum excipitur & spargitur.

3. **המחטה**, πυρεῖον. Vasculum in quo prunae continebantur ab altari exteriori petitae ad adolendum suffitum.

La paletta Hispanis. Eodem nomine & illud vas argenteum dicitur, quo prunae ab altari exteriori tolli & deferti consuevere ad pavimentum ad ortum altaris, ubi avium ingluvies & cineres altaris interioris & lychnuchi colligebantur: quod dicitur

תרום את המזבח. Vide Tamid. i.

4. ubi dicitur illud **מחטה** posatum fuisse in angulo inter clivum & altare ad occidentem clivi. Probe distinguendum hoc a **פֶלכָתָר** sive olla cinerum quam sacerdos hinc & sacerdos inde per solum clivi dirigebat. Tamid. v. 2. adeoque hoc est

תרום את המזבח.

4. **הבזק.**

5. **כַף וּכְסֹויִחַ**. vasculum **כַף**, & operculum ejus.

Hic

Hic sane קְבַע dicitur operculo tegi, quod modo de בָזֶק dictum fuerat.

Quae quum ita se habeant, credidimus per קְעֹרֶת quae conjunguntur cum כְפֹתֶת uti vaicula mensae imponenda, quum deportanda esset alio, intelligi oportere vasa alia majora quibus קְבַע imponitur quando ad mensam derertur. Chaldaeus, uti vidimus, μαγιδων nomen iis tribuit, Alexandrini τρυπελία. Josephus euiam pro קְעֹרֶת τρυπελόν habet Antiquitatum libro tertio, capite nono, quando confertur cum Numerorum capite vii. commate 12. ubi τρυπελόν pro קְעֹרֶת, φιάλην pro מִרְקֵב, θυλάκιον ponit pro קְבַע, & de קְבַע quidem ibidem legitur vas fuisse thure plenum, vel pulvere adolendo, מְלָא קְטוּרָת, sic ut קְבַע in Sacro Codice adhiberi fere videatur pro acerra thuris. קְעֹרֶת appellatur in Codice Schabbath cap. xvi. 7. vas quod invertitur super lucernam (ita tamen ne extinguat) ne flamma trabem corripiat, & super scorpionem ne mordeat. In Siphra & Korban Aharon, eximio in librum illum commentario fol. * 262. legitur tres fuisse species vasorum, quae τύποι, דְפָסִין, a Judaeis dicuntur, quod formam panum propositio-

positionis aut efficiant aut conservent, primam in qua panibus forma sua datur, secundam in qua dum coquitur in furno est, tertiam in qua sunt panes e furno exempti, ut formam eandem retineant. Tertiam hanc speciem esse illa mensae sacrae vasa, quae קערות dicuntur, ibidem legere est.

Observatio illa, de more gentium Asiaticarum supponendi vascula majora minoribus, non modo usum habet in vasis describendis quae ad odores quotidie incendendos adhibebantur & in iis quae in mensa posita thus continebant; verum quum & קשות & מנקיות ita jungi videamus, facit ut suspicemur etiam iis indicari par similius vasculorum, quorum unum alterum sustinet. Fuerunt certe haec vascula ad mensae sacrae usum facta, nam appellantur קשות & מנקיות, *ke-schoth ipsius* & *menakkioth ipsius*. Sic ut de spondeis (ita Apulejus scriberet) aut vasculis quibus vinum libabatur in altari exteriori neutiquam cogitandum sit. Tunc enim non mensae sed altaris קשות videntur dici debuisse. Praeterquam quod si istum usum habuissent, ratio dari vix possit cur illa, quando tabernaculi vasa alio

aliò transportabantur mensae fuerint imposita. Vasa erant altaris exterioris. Cum iis potius transferenda essent: aut si cum aliquo vase Sancti, cum altari interiori, quoniam utrumque altare erat, inter quae major est convenientia quam inter altare & mensam.

Quoniam ergo Kesoth & Menakkioth vascula fuerunt mensae sacrae usui aptata, quaenam illa fuisse dicemus? Non nisi panes & thus mensae erant imposita, panes ipsi mensae, thus in כפות supra panes, quae כפות, uti mox vidimus, potuerunt ταῖς קערות imponi. Quem usum ergo praestiterunt קשות ומנקיות? Sunt Judaei qui de calamis inter panes collocandis & stipitibus hic cogitant. Et profecto conjecturis locus est, quoniam incerta est vocis utriusque significatio. Mihi magis placet vestigia veterum Graecorum & Chaldaeи interpretis legere, & his nominibus vascula duo, alterum alteri imponendum, denotari, in quae thus infundebatur quod in Sancto per dies septem fuerat, ut ex iis in altare exterius daretur igni cremandum. Hoc suadet usus quem sacrae literae iis adsignant אשר יסך בהן quibus libabitur, effundetur,

114 DE SPOLIIS TEMPLI
tur, in altare exterius. Ideo Kefoth appellantur חנוך effusionis Num. 4. 7. In Joma cap. v. misn. 1. diserte leguntur in Sanctum inferri solita singulis Sabbathis בזיכי acerrae thuris, quibus sane thus inerat diversum a thure quod in mensa erat: adeoque uti panes, ita & thus permutari oportuit. Haec vascula apte Σπόνδεια nuncupantur ab effundendo thure.

Falluntur sane qui σπόνδην & σπέρδειν non nisi de vino libaminis accipi posse autumant, & propterea vascula vino repleta mensae huic imposita fuisse crediderunt. Josephus certe οἰνοχόας vocat (nomine a Σπόνδειοι diverso) vasa in atrio collocata juxta vel e regione altaris exterioris, quae non possunt esse nisi vascula e quibus vinum libandum invergebatur simpulo altaris, lib. III. Antiq. cap. 7. Sic etiam Antiq. III. 2. distinguit suis nominibus, agens de mensa sacra, φιάλας καὶ σπόνδια, fecisse illa Salomonem narrans, & supra mensam ea fuisse collocata: quae indicant (ni fallor) par illud vasorum quod thus continebat, sic ut minus φιάλα dicatur, majus σπόνδειον. Certe ita vascula thure repleta phialae appellantur Apocal. 5. 8. φιάλας γέμεσαι θυμιαμά-

των,

τῶν, & nomen כְּפֹת (quod convenit cum nomine כְּפֹת quod Moses acerris thuris tribuit) Syrus interpres Apoc. 15. 18. pro φιάλη adhibet. Josephus voce φιάλης utitur Antiq. lib. 11. 3. pro vase e quo bibitur, uti & Antiq. 111. 10. ubi vas e quo mulier adulterii suspecta babit φιάλην vocat, uti & illud פִּאַל' dicitur in Misna Sota 11. 1. Ita & in Siphra fol. * 129. 1. vas supra quod avis leprosi mandatur פִּיְלֵי φιάλα nuncupatur, & Chaldaeus interpres Judic. 6. 38. pro Hebraeo סְפָל, vase quo aqua continebatur, habet פִּיְלֵי. Aelfricus denique in glossario, *Fiala vel scala, bledu;* id est, vas potorium, Anglo-saxonibus.

Videtur ergo Josephus φιάλων nomen, de mensa sacra agens, tribuisse acerris thuris, sive כְּפֹת, & σπόνδειων nomen vasculis majoribus quae supponebantur acerris; certe non vasis istis quibus vinum libabatur: nam eodem loco quem mox indicavimus (Ant. 111. 2.) sed post interpositam lychnuchi descriptionem, distinguit ὄνοχόας & φιάλας, sic ut ὄνοχόας vocet vasa vinum continentia, vel mera-ria, (ἀκρατοφόρα, ut loquitur idem lib. vi. de bello cap. 16.) & alia vasa sacra

116 DE SPOLIIS TEMPLI
commemorat quorum nomina & usum
notat, *πίνακας*, in quibus simila mace-
rata ad altare deferebatur, *χρατῆρες* in
quibus simila oleo subacta deferebatur,
μέτρα quibus metiebantur arida & liqui-
da, *θυμιατήρια* quibus ignis ab altari ma-
jori ad minus portari consuevit & thus
deferebatur in sanctum. Haec ideo dili-
gentius adscribo, ne quum hae voces aliis
locis in Josepho leguntur aliquis putet se
vim earum assecutum esse, si noverit
quid *χρατήρ*, quid *πίναξ*, Graecis sonet.
Immo vero ex Josepho ipso discere con-
venit quid fuerint *χρατῆρες*, non quaelibet
vasa, non illa in quibus vinum aquae
miscebatur, aut pocula (uti Graeci vo-
cem *χρατήρων* usurpare solent) sed ea
quae supra descripsimus ex Josepho (nisi
ipse doceat quo modo velit intelligi, uti
quum *πίνακας* thure plenos commemorat
lib. III. Ant.) qui etiam Ant. XIII. 2.
χρατῆρες, & *Φιάλας* & *Πτονδεῖα* a Ptole-
maeo missa distinguit plus semel.

Praeterea *πτονδεῖαν* nomen non necessa-
rio ad libationem vini nos dicit. *Αἴμα*
esse *πτονδη* *Ψυχῆς* Philo scribit libro de
victimis. *Αἴμα ἐπιπτένδειν* dicit Josephus
Ant. XIII. 18. *Εὐζία καὶ πτονδη* Graeci
red-

reddunt Dan. 9. 27. voces זְבָח וּמִנְחָה. Hesychius Σπενδόμην, αὐατιθεὶς τῷ Θεῷ, & Σπένδεται, θύεται. Jerem. 52. 18. Aquila & Theodotion reddiderunt מַזְרֻקֹת per ζπονδία. Adeoque σπονδεῖα, licet vulgo significaret vascula vinum libandum continentia, tamen illa semper a Josepho & aliis hac notione usurpari debuisse non magis confequitur quam vocem κρατῆγας, quae, si originem ejus spectes, notat vasa quibus vinum aquae miscebatur, & tamen a Josepho usurpatum pro vasis in quibus simila ad altare deferebatur.

Ex his intelligitur apte illa vascula ex quibus thus in ignem altaris exterioris effundebatur σπονδεῖα dici posse, praecipue stante Templo secundo, quando eaedem illae acerrae quae in mensa Sancti fuerant ad altare exterius deferebantur & ζπονδεῖων vicem praestabant. Ita enim Iudei in Codice Ménachoth cap. xi. §. 7. describunt modum permundi panes & acerras thuris, ut duo sacerdotes receiverent duos panum ordines ex mensa, & duo acerras thuris, alii duo inferrent panes recentes, & duo alii recentes thuris acerras. Quem quidem ritum an ab aeta te Mosaica non derivabimus (quando

potuerint acerrae thuris evacuatae & thus in alias formae vascula infusum igni immisum fuisse) sed recentiorum temporum consuetudine , quando omnia ex Pharisaica Leges Divinas interpretandi methodo fieri consueverunt, secus ac olim? An potius hoc dici possit, plures numero acerras thuris fuisse , sicut & plurima θυμιατήρια in templo primo & secundo fuisse memorantur: ita ut כפות five acerrae thuris permutatae fuerint in mensa singulis Sabbathis , & thus, quando adolendum esset in altari exteriori , infusum in alia vascula quae nomen Kefoth & Menakkioth gerunt. Ita non videtur superesse difficultas. Quod enim Talmudici scribunt הקטירו הבזיכין adolent acerras , non acerras ipsas spectat sed thus in iis contentum , ut sensus fit thus quod fuerat in בזיכין adulitum fuisse in altari: unde non efficitur necessario thus quando adolebatur ex ipsis illis בזיכין effundi debuisse.

Convenit idem cum vulgari dicto Talmudicorum אין עניות במקומות עשירות non est paupertas in loco divitarum : quo innuunt nihil non magnificum in vasis & apparatu templi credi oportere , nec illic

ad

ad usus duntaxat necessarios vasa fuisse comparata verum & ad magnificentiam & decus. Non solebat illic canon philosophorum observari, quod fieri potest per pauciora non esse faciendum per plura, & exempla non desunt quaedam ex uno vase in aliud transfusa fuisse, licet in vase priori commode manere potuerint & ad locum quo destinabantur deferri. Vide quae de prunis ab altari exteriori petitis leguntur in Tamid v. 5.

Josephus thuris acerras impositas mensae sacrae (vel panibus ipsis: ita enim plus uno loco scribit, quamvis in Siphra fol. * 263. 1. legatur, ne pondere suo panes premerent impositas fuisse acerras ipsi mensae גותנים על גב' השלחן כד' שלא יבצעו את הלחים) nuncupat libro III. Antiquitatum πίνακας λιθανωτές γέμοντας. *Pateras thure plenas* reddidit interpres vetus Latinus, Epiphanius creditus. Sed acerras, quibus thus imponebatur adolendum in altari interiori, Θυμιατήρια vocat libro octavo, & idem nomen dat illis vasibus quibus prunae ab altari exteriori desumptae deferuntur ad altare interius, quorum tamen illa Hebraeis כפות, haec מחותות, appellantur. Ita scribit loco lau-

120 DE SPOLIIS TEMPLI

dato Θυμιατήρια δὲ χρυσὰ ἐν οἷς ἐκομίζετο
 Θυμίχμα εἰς τὸν ναὸν δισμύρια, ὅμοιώς αὐτῷ
 Θυμιατήρια, οἷς ἐκόμιζον ἀπὸ τῆς μεγάλης
 θωμᾶς πῦρ ἔπει τὸ μικρὸν θωμὸν τὸν τῷ
 ναῷ, πεντακισμύρια. Fecit Salomo Θυμια-
 τήρια aurea, quibus thus in aedem sacram
 inferebatur, viginti mille, & alia θυ-
 μιατήρια, quibus ignis defumus ab altari
 majori defertur ad altare minus in aede
 sacra, quinquaginta millia. Quo magis
 admiranda est illorum temeritas, qui per
 Θυμιατήρια in epistola ad Hebraeos, ca-
 pite nono, commate quarto, ipsum al-
 tare aureum indicari autumant; quod cer-
 te in Sancto Sanctorum fuisse unquam
 collocatum scribere audere quemquam
 hoc nostro seculo, & in tanta qua frui-
 mur luce literarum, non putem. Et quid-
 ni omittere potuit mentionem altaris au-
 rei scriptor sacer, etiamsi id in sancto
 fuerit, qui se negat de singulis agere
 velle, qui Mosis vestigia legisse dici po-
 test qui de mensae quidem & lychnuchi
 fabrica agit sed de altari non nisi magno
 postea intervallo? Josephum ipsum addo,
 qui quum Pompejum in Sanctum intro-
 ducit lib. I. de bello cap. 5. vidisse eum
 narrat lychnuchum, mensam & vasā li-
 bato.

batoria, ac acerras, nulla facta altaris aurei mentione; uti nec illud a Tito ex sancto elatum est, conspiciendum ceteroquin una cum mensa & lychnucho in hoc ipso arcu triumphali. Erat tamen illic altare tempore Pompeji, quod haud ita diu ante Judas ipse novum fabricaverat, teste Josepho: & ipse, templum describens a Tito obsessum, memorat praeter mensam & lychnuchum in Sancto altare fuisse.

Reposuerim libens in Josepho lib. xii.
cap. 7. vocem hanc Θυμιατήρια pro ea
quae nunc legitur Θυσιαςήρια, ubi Antio-
chus ex Templo rapuisse dicitur λυχνίας
χεύσεας, καὶ Βωμὸν χεύσεον καὶ τράπεζαν
καὶ τὰ θυσιαςήρια. Praeter enim Βωμὸν
χεύσεον non erat nisi unum θυσιαςήριον,
nec illud ἐν ναῷ, nec dirutum aut abla-
tum ab Antiocho, sed profanatum, &
quod Judas ipse Maccabaeus demolitus
est.

Ceterum quod spectat ad nomen קב
his acerris datum, facile quivis intelligit,
si formam literae Caph cum iis confe-
mus, ea ipsa fere imaginem horum vaso-
